# COMMENTARII
## DE REBVS
## IN
# SCIENTIA NATVRALI
## ET
# MEDICINA
## GESTIS.

## VOLVMINIS XXV. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXXII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

C736
v.25
&
Suppl.3
pt. 2

I.

Journal de médécine, chirurgie, pharmacie etc. Tome XLIX. à Paris 1778. 8. c. f. pagg. 576. et Tome L. ib. eod. pagg. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam et pharmaciam pertinens cet. Tom. XLIX. et L.

Tom. XLIX.

*Menſe ianuario.*

1) Cl. DUNANT in epiſtola olei ricini virtutem tradit, quam alibi *) narrauimus. p. 44.

2) Cl. BOUTEILLE obſeruationes de virtute antiepileptica et vermifuga valerianae continuat. p. 63.

*Menſe februario.*

1) Alcali volatilis fluidi (*l'alcali volatil fluor*) virtus et huius remedii nouitas hic omnino negatur. p. 97.

2, 3 et 4) Hi tractatus pertinent ad ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis, de qua nuper diligentem collectionem **) indicauimus. Auctores ſunt SIGAULT, GRANDELAS, DESCEMET cet. p. 127.

5) Continuat hic Cl. BOUTEILLE obſeruationes de valerianae contra epilepſiam infantum cum hydrophobia, atque in genere contra rabiem a morſu canis rabidi. p. 165.

*Menſe martio.*

1) De polypo vteri. Auctore MILLERET. Hic polypus feliciter ſeparatus ponderauit quadraginta et quatuor vncias. p. 214.



*) v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 496.
**) ibid. p. 648.

Hist. of Science

p. 222. 2) De dyſenteria epidemica. Auctore PICQUE DELOURDE, quae adſcribitur aëris viciſſitudinibus et aeſtati calidae; haec in annum CIↃIↃCCLXXVII incidebat. Febris et ſymptomatum habita ratione, duas effecit Noſter huius epidemiae ſpecies, ſeu gradus; methodus vero medendi ſecundum febrem et ſymptomata dirigebatur.

p. 231. 3) Cl. EVESQUE tumorem oualem paene oſſea dufitie in dextra gena, tredecim pollicum latitudine et octodecim linearum altitudine conſpicuum, incidendo, dilatando et emollientia cet. applicando ita feliciter tractavit, vt tumor diſpareret.

p. 233. 4) De partu difficili obſeruatio. Auctore IOS. GALETTI. Caput non ſolum inclauatum erat, ſed pectus hydropiſi laborabat, quo aperto; magna profundebatur aquae copia. Puerpera ſeruata eſt.

p. 240. 5) Epiſtola Cl. FILLEAU ad Cl. BOUTEILLE de vſu antiſpaſmodico corticis Peruuiani, quem declarat duorum aegrotorum epilepſia cum febre intermittente laborantium, hiſtoriis.

*Menſe aprili.*

p. 303. 1) Hiſtoria morbi exanthematici, vere varioloſi, poſt variolarum inoculationem diu praegreſſam hic traditur a Cl. D'ARCET.

p. 323. 2) De electricitatis vſu medico cauto. Auctore Cl. MAUDUYT. Qui cernitur in praeparandis aegris, in ſoluenda materie peccante, nec ea in nobiliores partes deriuanda cet.

p. 333. 3) Obſeruationes de vſu olei ricini anthelminthico *), Auctore Cl. ODIER.

p. 356. 4) Obſeruatio de magno tumore exſtirpato. Auctore Cl. ROCHARD. Sedebat hic tumor per ſedecim

*) vid. ſupra p. 3.

cim annos in ilio ſiniſtro, qui ambitu ſuo triginta duos pollices aequauit et quatuordecim libras liberauit. Continebat ille adipoſam materiem, vaſculaque eius in centro potiſſimum poſita, eaque orta ab expanſione aponeurotica muſculorum gluteorum et faſcia lata.

5) De partu quodam artificiali. Auctore ROUGIER filio. Femina, decem annis matrimonii praeterlapſis, grauida eſt facta. Non potuit autem, appropinquante partus tempore, eniti ob vaginam hymene occluſam, foraminulis tamen praeditam ad emittendum lotium et menſtrua, et ex parte cartilaginoſam. Qua diſſecta partum Agripparum Noſter inſtituit viuum ſalua matre. p. 358.

*Menſe maio.*

1) De corde ſub diaphragmate collocato. Auctore Cl. RAMEL. Puella decem annorum, haemorrhagiis narium, dolore capitis, congeſtionibus ſanguinis ad caput cet. vexata, palpitationes cordis ſub diaphragmate ſenſit. Noſter inquirens in hanc rem, reperit cor ſub cartilagine xyphoidea, vbi ventriculus, cuius verum ſitum non detegere potuit, ſolet poſitus eſſe. Ceterum haec puella, vitato ab ea vehementi omni corporis exercitio, valet. p. 423.

2) Epiſtolae Cll. SIGAULT et DESPRES DE MENMEUR concernentes ſynchondrotomiam oſſium pubis *), quas ſequuntur animaduerſiones eandem et partum caeſareum ſpectantes a Cl. BONNARD. p. 428. et p. 433.

3) Continuatio diſputationis de vſu olei ricini **), Auctore Cl. ODIER. p. 450.



*) vid. ſupra laudatam diſſertationem p. 3.
**) vid. ſupra ib.

p. 498. *Menſe iunio.*
et 1. 2 et 3) Varia de electricitate medica hic a Cl.
p. 501. SANS proponuntur, quae potiſſimum paralyſin attinent.

p. 523. 4) Sectionem ſymphyſeos oſſium pubis feminae, in interna oſſis ſacri ſuperficie exoſtoſi laboranti, adhibitam fuiſſe hic narratur.

p. 528. 5) De noxa ſuffimigiorum in aſphyxiis. Auctore Cl. COSTE.

p. 533. 6) De variolis, ſcarlatina et febre miliari ſtipatis. Auctore Cl. DESESSARTZ.

Tom. L. Progredimur ad tomum ſequentem.

*Menſe iulio.*

p. 30. 1) Obſeruatio de noxiis antimonii et mercurii effectibus in colicis ſymptomatibus. Auctore Cl. LABORDE. Mercurio, in colico morbo, in ileum demum transeunte, adhibito, paralyſis ſpaſmodica aegrotanti ſuperueniebat, quam adſcribit Noſter commorationi mercurii in corpore humano, ſeſe in vaſa abſorbentia inteſtinorum inſinuantis, cum ſanguine commiſcentis, multaque creantis mala. Propter grauitatem enim, moramque in corporibus mercurium virulentiam nanciſci, et per quodcunque acidum in corporibus mutari in ſublimatum corroſiuum Noſter opinatur. Huic praeterea aegro et nocuit antimonium, quod in fibras nerueas agendo ſtuporem profert, in tenſionem demum abeuntem.

p. 39. 2) Obſeruatio de morbo quodam veſicae vrinariae. Auctore LA CROIX. De ſcala lapſus ſibi vulnus perinaei cum contuſione vrethrae et haemorrhagia procreauerat. Quo ſanato, remanſit ſtranguria, quae, cum cerei adhiberi nequirent, punctura eſt ſanata.

p. 44. 3) De pyrophoris ſine alumine et de inflammabili oleorum, carbonumque agit Cl. PROUST. Di-
et
p. 131. verſis hypotheſibus ſuper ratione, qua pyrophorus

rus flammam concipit, enarratis, methodum horum conficiendorum ſuam Noſter proponit.

4) De morbo ſingulari loquitur Cl. BONNARD. p. 60.
Virgo quadraginta octo annorum, praeterea ſana, dolores faciei vagos ita acutos, vt lacrymae profluerent, ſentit, quos praeſagiunt rubor faciei, labia clauſa et in rugas contracta, vel aperta, muſculorum faciei talis dislocatio, qualis ab ingrato ſapore oriri ſolet, cum ingenti clamore et ſaliuatione, dicitque aegra, dolores multos ſcintillantes ſeſe ſentire, parte doloroſa rubente. Originem morbi tribuit virgo puſtulis in brachio venaeſectione diſſipatis, remanentibus rheumatiſmis, quibus ſublatis, acceſſit hic morbus. In iuuentute odontalgia et rheumatiſmis cum genarum intumeſcentia laborauit.

5) Cl. D' ASSY D' ARPAJEAN pergit in phthi p. 64.
ſeos pulmonalis deſcriptione atque hic inflammatorium periodum inprimis perſequitur et exemplis illuſtrat. Porro vlcerum pulmonum naturam de- p. 144.
clarat.

*Menſe auguſto.*

1) Cl. BARON obſeruationes hic tradit naturae p. 109.
vires attinentes in morbis abigendis. Chorea St. Viti, variis remediis incaſſum adhibitis, ruſticatione eſt ſanata. Puella a febre lenta, exulceratione pedis cet. ſolius naturae ope liberata eſt.

2) De tendinis ACHILLIS ruptura exemplum p. 118.
hic proponitur a Cl. DE VILDE.

3) Fulmine tactam feminam ſuffocatiue exſpi- p. 129.
ratam eſſe narrat Cl. RAGNEAU.

4) De natro. Hoc Cl. PROUST ad alcali mine- p. 142.
rale admodum purum referendum eſſe putat, quod experimentis ſuis declarat.

p. 152. 5) Corticis Peruuiani defenditur vis antiſpaſmodica a Cl. FILLEAU.

p. 155. 6) Cl. CAMPARDON obſeruationes de quamplurimis cranii fracturis, inprimis de ſpecie illa a Graecis φλασις dicta, additis tribus exemplis, tradit.

*Menſe ſeptembri.*

p. 193. 1) De reconualeſcentia, Auctore Cl. BALME, quae a Noſtro dicitur ſtatus medius inter morbum et ſanitatem. Dein agit de ſignis et attendit tres periodos, initium, progreſſum et perfectam conualeſcentiae conditionem.

p. 230. 2 et 3) Cl. SVMMEIRE confirmat hic vſum cinerum geniſtae in hydrope, qui ſequebatur mor-
p. 233. bum exanthematicum epidemicum, inque hemicrania periodica corticis Peruuiani vtilitatem praedicat.

p. 235. 4) IDEM obſeruauit ouum gallinarum fractum, ex quo poſtero die aliud propullulauit magnitudinem oui alaudarum propemodum aequans, in quo vitellum non centrum, ſed latus occuparat.

p. 236. 5) Cl. MAUDUYT *) de effectu electricitatis in paralyſi diſſerere hic pergit.

p. 239. 6) Cl. SOUVILLE exemplum mortis ſubitae, rupto aneuryſmate vero arteriae ſtomachicae, quod ex ſectione cadaueris apparuit, tradit. Vehemens nimirum motus hanc rupturam effecerat.

p. 242. 7) Quartam **) obſeruationem collegit Cl. CAMPARDON de fracturis cranii. Attinet haec obſeruatio fracturam oſſis frontis tormento bellico factam, quae icone eſt illuſtrata.

p. 264. 8) Experimenta de vrina camelorum recenti et putredine deſtructa Cl. ROUELLE inſtituit quoad odorem, colorem, qualitatem mucilaginoſam, ſaponaceam-

*) vid. ſupra p. 4.

**) Antecedentes non diu ante ab EO ſunt hic inſertae et a nobis ſupra indicatae.

naceamque, grauitatem ſpecificam, additis acidis mineralibus, violarum floribus, vini aceto cet. Item comparauit hanc cum hominum, vaccarum, equorum vrina cet.

*Menſe octobri.*

1) Finit hic Cl. BALME tractatum de reconualeſcentia, cuius paulo ante mentionem fecimus. Diſpeſcitur ea in diuturnam et malam, ſubitam nec animaduerſam, periculoſam cet. p. 307.

2) Enarrat Cl. LALLEMENT exemplum puellae octo annorum natae, quae ita ſtupida erat, vt nec parentes noſceret, nec alias diſtinguere res poſſet. p. 320.

3, 4, 5, 6 et 7) Reſpondit Cl. LONGAVAN ad caſum morbi in virgine a Cl. BONNARD menſe iulio propoſitum et a nobis ſupra indicatum, cuius morbi indolem a materia arthritica repetit, quae venaeſectione, alterantibus, euacuantibus cet. remediis eſt tentanda, ita, vt, humoribus correctis, irritatio ſpaſtica fibrarum impediretur. Cl. LAUGIER hunc morbum refert ad morbos ſyſtematis nervoſi, qui in primis viis habent ſuam praecipuam ſedem. Cl. DES-ONDES ſuadet in hoc morbo euacuantia, topica et ſuffimigia, cet. Cl. MENVRET omnia huius morbi ſymptomata explicat ex principio, neruoſa organa irritante, et proponit corticem cum decocto bardanae, cet. Cl. DUPOUY omnem hunc morbum a catarrho deriuat et extractionem dentis ſuadet et diſquiſitionem, num caries adſit? p. 323. p. 331. p. 336. p. 338. p. 340.

8) Cll. TRUYART et ALLOUEL obſeruationem de grauioribus ſymptomatibus in lichenibus, repercuſſis ab vſu mercurii ſublimati corroſiui et aquae vegeto mineralis GOULARDI tradiderunt. Femina hyſterica impetigine vexata in conuulſiones, aliaque ſymptomata incidebat, quae ex materia, a cute ad cerebrum delata ab his medicamentis, repetuntur. p. 344.

p. 352. 9) Cl. CAMPARDON finit ſuas obſeruationes de cranii fracturis, quarum aliquoties iam paulo ſupra fecimus mentionem.

p. 365. 10) Cl. WARNIER puellam per quatuor horas merſam, et ſuffocatam reuocauit in vitam.

*Menſe nouembri.*

p. 409. 1) Cl. VIESSEUX obſeruatio de eryſipelate inoculationem ſequente, quod, ex bilioſa materia ortum, vſu purgantium remediorum ſanabatur.

p. 419. 2) Cl. SAVOUX animaduerſiones in Cl. MAIAULT diſſertationem de fiſtula ani*), filo plumbeo tractata. Attinent hae obſeruationes ligaturas, quae quoque iuuant, cum Cl. MAIAULT methodus ingentes gignat dolores.

p. 427. 3) Puellae octodecim annorum epilepticos inſultus atque periodicos, ex retentione menſtruorum, pediluuiis calidis, venaeſectione et purgante remedio cet. Cl. GUIGOU ſanauit.

p. 431. 4) A Cl. HERBIN fil. vniuerſale emphyſema cum hernia inguinali eſt curatum.

p. 434. 5) Cl. I. GAGNIERE effectum fulguris hunc narrat. Gladio ſcilicet in ventre ita ictus aeger erat, vt inteſtina et epiploon prodirent, repoſitione facta, vulnus conſolidatum fuit. Oborta autem tempeſtate a fulgure, ingentes ibi ſenſit dolores, qui, ceſſante tempeſtate, euanuere. Inquirens in cauſas huius doloris, nullas circa cicatricem reperit.

p. 436. 6) Cl. CH. LEROY obſeruatio de gemellis monſtroſis inter ſe vnitis et icone illuſtratis cum animaduerſionibus in ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis **).

*Menſe decembri.*

p. 494. 1) Cl. MAUREL magnam caluae depreſſam foveam, in iuuene ſedecim annorum a lapſu, ſomnolentia,

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 478.
**) v. ſupra p. 3.

lentia, alienatione mentis cet. ſtipatam, recuſata a parentibus operatione, diaeta, venaeſectione et topicis remediis ſanauit.

2) Morbum conuulſiuum a colica quadam ex vſu interno vegetabilium ſtupefacientium ortum ſanauit Cl. LETUAL. p. 504.

3) Cl. GAULTIER DE CLAUBRY hic deſcribit methodum neonatos, qui videbantur mortui, ad vitam reuocandi. Cernitur in vmbilicalis funiculi immiſſione in vaginam vteri matris, cuius calor motum ſanguinis conciliat, et in inflatione leni aëris in pulmones. p. 512.

4) Cl. BARRAL commemorat caſum mortuae virginis, ex eſu ceraſorum cum nucleis. p. 519.

5) Obſeruatio de morbis cutaneis equorum, Auctore Cl. HUZARD. p. 524.

6) Cl GUENEL methodum tradit haemorrhagias ſiſtendi poſt caſtrationem. Eſt lamina plumbea ductilis cum foraminulis, in cuius cauitate agarici portio ad haemorrhagiam impediendam ponitur. p. 528.

7) Epiſtola Cl. BONNEL DE LA BRAYERESSE continens cariem femoris, quae per quindecim annos durauit et multis adhibitis incaſſum remediis, inter quae et operatio erat, lethalis facta eſt. p. 530.

## II.

ALBERTVS HALLERVS de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Opus quinquaginta annorum. Tom. III. Bernae et Lauſannae, ex prelis Societatum Typographicarum, CIↃIↃCCLXXVIII. 8. Plagg. 18 et ½.

Locuti ſumus nuper *) de prioribus quatuor novae phyſiologiae Hallerianae editionis libris, ſimulque

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXIV. P. I. p. 29. P. III. p. 466.

ſimulque praecipuorum ſupplementorum, quibus eos auctos deprehendimus atque locupletatos, brevem exhibuimus recenſum; iam, quid vel noui, vel mutati nobis quintum librum, qui in hoc volumine ineſt, perlegentibus obuenerit, exponamus.

Aduertit autem primum in hoc libro HALLERVS animum, ad ſanguinis in vaſis viui hominis fluentis copiam atque indolem, et variorum de humana natura Auctorum ſuper hac ipſa re placita diiudicauit; tum de elementis, ferogue ſanguinis diſſeruit, ac tandem de proportione et vtilitate variorum huius liquidi elementorum mentem ſuam reddidit cognitam.

p. 3. Ipſius ſanguinis in viuis animalibus circumeuntis quantitas definiri, Noſtro iudice, accurate haud poteſt, quod omni dubio procul in liquidi huius ad reliquam corporis molem ratione varietas locum

p. 6. obtinet. Nam ſaepe annotatum eſt, multos homines inſignem cruoris copiam intra breue tempus ex naribus, aliisue partibus amiſiſſe, multos vero fuiſſe repertos, in quibus ſanguinis penus ita exhauſta deprehenderetur, vt fere nihil rubri humoris ſupereſſet. Sic, vt quaedam tantum exempla addamus, TISSOTVS de homine, qui intra annum CCCCXII libras ſanguinis amiſerat, retulit et HENKELIVS meminit haemorrhagiae viginti et vltra librarum, cet. WILHELMI III e contrario funus totum exſangue fuit inuentum. De animalibus variis ſimiles proſtant HARVEII, KINGII, aliorumque obſervationes, ex iisque quiuis, pro diuerſa ſanguinis, quam e corpore animantis eduxit, copia, humoris huius ad reliquas partes rationem diuerſo modo definiuit. Hinc, quae ſit habenda variis variorum

p. 8. calculis fides, clarum eſt atque perſpicuum. Reliquis tamen phyſiologis, qui hanc rem perſcrutati ſunt,

ad

ad verum propius aut FRANCISCVS QVESNAIVS, aut FRID. HOFMANNVS acceſſit, quorum prior viginti et ſeptem, alter vero viginti et octo ſanguinis libras in adulto, ſanoque homine circumire ſtatuit, quae ratio eſt ad mediocrem hominis molem, vt 1 ad 5. Ceterum iuniori homini, aut animali, expe- p. 9.
rientia teſte, plus ineſt ſanguinis, quam ſeni, vetuloue; hinc recens nato infanti vniuerſa cutis, ipſaque cornea oculi tunica rubet, quae pariter ac communia tegumenta, ſanguinis portione diminuta, ſenſim per aetatem alba euadit.

In feri animalis canalibus etiam maior huius liquoris quantitas mouetur, quam in domeſtici vaſis, et in vniuerſum ſanguinis pondus ad reliquum corpus eandem rationem, quam cor obſeruat, obtinere HALLERVS contendit.

Arterioſum ſanguinem a venoſo admodum dif- p. 10.
ferre, illumque calidiorem et rariorem, hunc frigidiorem et magis ponderoſum eſſe, multi arbitrati ſunt. At nullis fere idoneis argumentis haec ſententia nititur, neque opiniones DAVIDIS, atque WILSONI, quorum ille venoſum calidiorem, hic eum magis animaliſatum arterioſo eſſe ſtatuit, experientia confirmantur; etenim neque SPALLANZANVS, qui pariter, vt HALLERVS, multum laboris in contemplando ſanguine poſuit, neque alii clari viri quicquam diſcriminis detegere potuerunt.

Verus hominis et plerorumque animalium ſan- p. 21.
guis rubro, eoque in ſano corpore eleganter florido gaudet colore, qui coccum aut aequet, aut ſuperet. Atque ita potiſſimum Europaei et albi hominis ſanguis comparatus eſt, is vero, qui in aethiopis vaſis mouetur, ab illo coloris reſpectu quodammodo dictus eſt differre; nam obſeruatum fuit nuper, ſanguinem

guinem aethiopis emiſſum fuſcum primum apparuiſſe, et exiguas ipſi nigras particulas fuiſſe admixtas, deinde eum floridum euaſiſſe et in centro placentae nigrum, in ambitu fuſcum eſſe redditum. In diuerſis animalibus aliqua forte in ſanguine coloris diuerſitas eſt, prout victus et vitae genus aliud fuerit; etenim, quamquam ipſe HALLERVS cum in frigidis animalibus, velut in rana et bufone, tum in calidis, vt in incubato pullo, ſanguinem rubro colore conſpicuum et concreſcendi virtute praeditum vidit, in piſcibus tamen, iisque anguillarum ad modum teretibus ſanguinem in corde nigrum et coactum, in cartilagineis e contrario rubrum et ſplendentem eſſe, cet. ſe legiſſe refert. In maioribus quadrupedibus, vt in equo, denſior ſanguis et magis viſcidus, quam in minoribus, eſt; in cane eundem liquorem Noſter glutinoſum magis et ad coëundum proniorem, in ouibus vero, iisque potiſſimum iunioribus, fludiorem inuenit.

p. 22. At vero, vt ad colorem ſanguinis regrediamur, videtur non ſtatuendum eſſe, hunc humorem rubro colore aut in omni aetate, aut in omni temperamento nitere, aut in eiusdem hominis venis omne illud liquidum ſincero eſſe rubore conſpicuum; experientia quippe edocti ſcimus, humano fetui minus pulchre ſanguinem rubere, eiusque colorem obſcuriorem atque fuſcum magis, quam in adulto, eſſe, et notum praeterea eſt, BÜTTNERVM in immaturo humano fetu humorem flauum in aorta arteria ſanguinis loco conſpexiſſe, cet. Sanguis in celluloſas telas effuſus, quando reſoluitur, ex pene nigro rubore per coeruleum et viridem colorem in flauedinem tranſit, vt adeo a ſanguine flauedo omnino haud aliena videatur, quamuis ſani, adultique hominis, aut animalis ſanguis etiam in aqua dilutus nullum flaui coloris veſtigium oſtendat. SPALLANZANVS quidem nuper flauum globulo-

p. 24.

rum

rum ſanguineorum colorem haud admiſit, ſed eum potius refractae luci, qua HALLERVS vſus eſt, tribuit; at vero lentis vitreae vſum in colore certe mutando nihil efficere potuiſſe, Auctor contendit; nam in robuſto animali ſolitarios globulos, eosque meſenterii vaſa vnica ſerie percurrentes, ruberrimos ipſi viſos eſſe, aut certe albos fulgidos cum laeto rubore, nec vnquam flauos, languidi contra animalis glomeratos globulos, cum eadem luce vteretur, conſtanter flauos apparuiſſe, refert. Ceterum in viuis etiam animalibus albido quaſi, aut ſubcaeruleo ſanguinem nonnunquam colore gaudere Noſter addit; chylus quippe, isque ſuis proprietati- p. 25.
bus ſatis conſpicuus, ſaepe per ſanguinea vaſa oberrat, et humoris in iis contenti mutat colorem, quemadmodum BOHNIVS, BERGERVS, HALLERVS, aliique obſeruarunt. HEWSONVS album p. 27.
illud liquidum, quod ſanguini innatat, ſerum eſſe, idque flauos globulos habere, neque aut chylum referre, aut vnice a paſtu reperiri, cum ſero vero candorem ab adipe communicari, perhibuit, et TARGIONVS hydropicum liquorem etiam album vidit, cui nulli globuli eſſent. Eam autem albam materiem, quam cum ſanguine per vaſa circumire Auctor obſeruauit, paucis a cibo ſumto horis omnino euaneſcere, et porro totam ſanguinis maſſam ſincere rubere monet; hinc, colligit, tempus aliquod eſt, in quo conſpicuus cum ſanguine chylus circumeat, neque tamen inficiatur, humorem alium mucoſum quandoque in ſanguine contineri.

Omni ſanguinis maſſae commune eſt, et in p. 29.
omnibus, quantum conſtat, animalium claſſibus accidit, vt vitalis humor ſpiſſeſcat, et in ſano homine continuo, vti ex vena emiſſus eſt, in craſſioris, minusque cohaerentis gelatinae tremulam ſpeciem coëat.

coëat. Hoc autem phaenomenon cum in aeſtiuo aëris calore, tum hiberno tempore obſeruatur, et videtur frigefactus ſanguis ſolidius, calens tenerius coire. At vero ipſa coagulatio haudquaquam amiſſo calori tribuenda eſt, quod frigidorum animalium ſanguis cogitur, de quo tamen nullus calor decedat. Ea potius poſſet, HALLERO iudice, negari ſententia, qua a quiete ſola in coagulum hunc humorem abire ſtatuitur, cum concuſſus etiam, ſuilli exemplo, coëat, et in viuo homine ſolidam naturam induiſſe viſus ſit. Nihilo tamen minus quies ad coagulationem plurimum confert, ſiquidem ſaniſſimi hominis ſanguis, qui rapide per venas circumibat, fluidusque per aërem ſaliebat, continuo cogitur, quamprimum in patinam receptus, per 7 — 11 minuta prima, quo circiter temporis ſpatio ſanguinem indigere, vt in placentam conſiſtat, varii naturae humanae ſcrutatores experti ſunt, quieuit.

p. 31. Neque vero nulla eſt in denſitate, quam ſanguis variorum hominum ex venis miſſus acquirit, diuerſitas; nam denſior eſt, et vehementius coit in iis, qui rheumaticis, arthriticis, nonnullisque aliis affectibus obnoxii ſunt, aut febribus laborant, quibus inflammatio ſubeſt. In malignis febribus ſub mali initia ſaepe fere cogitur hic humor, etſi in poſterioribus ſtadiis reſoluitur, prout multi, iique peritiſſimi medici, veluti nuper HVNTERVS, annotarunt.

p. 32. Ipſe Auctor in miliari, eoque haudquaquam benigno morbo, et in alia grauiſſima febre de genere eryſipelaceo ſuum ſanguinem coactum vidit, et ROEDERERVS in maligna febre, cui mucoſi morbi nomen dedit, ſanguinea vaſa coacti cruoris plena reperit. In aliis morbis a multis facta eadem obſeruatio eſt, et in vniuerſum acutae febres, variolae, flaua febris Siamenſis, aliique ſimiles maligniores morbi cum craſſamento ſanguinis fere incipiunt, vt

humor

humor in peſte propter tenacitatem in vena haereat, poſſitque vix educi. Cum ipſo autem morbi progreſſu vt putredo in humoribus inualeſcit, ita ſanguis diſſoluitur, vt demum ipſi HALLERO in tertiana febre pulli ſanguine vix craſſior e ſecta vena liquor flueret, et in malignis febribus totus diſſolutus per omnes corporis poros exſudaret. Hinc recte ſub initia huiusmodi morborum acida, aliaque cum putredini, tum ſpiſſitudini ſanguinis contraria medicamenta, in progreſſu vero cardiaca exhibentur, cum diſſolutum ſanguinem debilitas ſequi ſoleat; neque enim deſperari de diſſoluto ſanguine debet, qui cum vita ſuperſtite natiuam denſitatem recuperet. Ceterum polypi *), qui quandoque in corde, vaſisque viui hominis generantur, ex ipſo coagulato ſanguine originem habent, iique interdum, MORGAGNO, WALTHERO, HAENIO, cet. Auctoribus, cunctis arteriis, venisque tanquam chordae inhaerent, et vermium quaſi induerunt naturam, pro quibus a nonnullis medicis habiti ſunt.

Calor ſanguinis in variis hominibus, animanti- p. 47.
busque varius eſt, isque mox valde imminutus, mox auctus vehementer deprehenditur. Nimirum, vt de animalibus ſileamus, quosdam homines morbis nonnullis, veluti dyſenteria affectos in corpore inſigne frigus ſenſiſſe, et diu interno calore eos caruiſſe, ſaepe repetita experientia conſtitit. Ipſe nuper MORGAGNVS ſanguinem e viuo homine venaeſectione eductum frigidum fuiſſe obſeruauit; vero autem eſt, inquit Noſter, admodum ſimile, hunc humorem alicubi quieuiſſe, id quod in grauibus deliquiis nonnunquam fit, et cum motu calorem ami-

*) vid. comment. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 267.

amiſiſſe. De ſummo aeſtu, quem homo tolerare poſſit, non eandem omnibus ſententiam fuiſſe conſtat; hinc, vt problema hoc ſolueretur, nuper varii Londinenſis ſcientiarum Societatis Sodales tentamina inſtituerunt, quorum euentus HALLERVS hic inſeruit. Nos olim de his ipſis experimentis, eorumque effectibus ad Lectores noſtros retulimus *).

p. 64. Electrica materies in humano ſanguine perinde, vt in omni alio fere corpore reperitur, eaque in ſolito corporis humani ſtatu nullum ſui indicium edit, quod aequali ratione, vt videtur, per vniuerſum corpus diſtributa eſt; quando autem in torrentem per frictionem incitata, vel in corpus humanum congeſta ſe in vicinum corpus, minus vbertim ea dotatum, exonerat, vel viciſſim ex corpore electri pleno in noſtrum, eo elemento minus diues, recipitur, inſignes vtrobique ea effectus producit. Scintilla nempe ex quacunque corporis parte educta ignis vim habet, eaque vini ſpiritum accendit, et in noſtro corpore dolorem facit atque concuſſionem, immo, ſi validior fuerit ictus, minora animalia, laceratis eorum vaſis et effuſo ſanguine, occidit. Idem elementum in torrentem incitatum pulſum accelerat, reſpirationem auget, ouorum
p. 69. praecipitat excluſionem, cet. Ortum haec electrica materies a phlogiſto, quod alimentis ineſt, habere videtur, neque tamen omne phlogiſton in electrum ab animali natura transmutatur; nam alia inflammabilis principii portio in rubra ſanguinis parte ineſt, alia, eaque ſuperflua ex pulmone exhalat. Ceterum inter potentiſſimos ſtimulos electrum pertinet, quod muſculos et cor ad motum ſuſcitet, quanquam ad omnes alios ſtimulos hae partes obſurduerunt.

Rubra

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXIII. P. III. p. 449. 461. 462.

Rubra ſanguinis portio, ſiue cruor ex rotundis p. 89.
particulis conſtat, quae per liquorem, eumque ne microſcopii quidem auxilio conſpicuum, feruntur. Continuatus autem motus hoc tenue liquidum demonſtrat, quando, vno globulo ex quiete in motum acto, alius longe ab illo diſtans, et demum plures ſimiles particulae in motum reuocantur; nam haec communicati motus veluti continuitas locum habere haud poſſet, niſi primus globulus cum ſecundo per inuiſibilem liquorem coniungeretur. Hos ipſos Noſter in ſuis oculis globulos ſaepe vidit, cum ciliis candelae lumen excludebat; tunc enim in linteo oppoſito, vel in charta, et cylindrica vaſa, et globulos per ea celeriter motos nudo oculo poſſe conſpici fatetur. Quae autem vera horum globulorum indoles ſit atque natura, nondum inter phyſiologos ſatis conſtat; etenim quanquam nuper in his ipſis cruoris particulis contemplandis DELLA TORRE, FONTANA, HEWSONVS, SPALLANZANVS, aliique verſati ſunt, euentus tamen, quos quisque horum virorum ſe obſeruaſſe retulit, varii admodum fuerunt, vt HALLERVS neque inter ſe, nec cum ſuis numeroſiſſimis contemplationibus eos poſſit conciliare. Et DELLA TORRE quidem eas p. 96.
cruoris partes, quas globulos vocant, membranoſos complanatos ſacculos, eosque lymphae plenos, eſſe, et ex 3-6 particulis oblongis fieri ſtatuit *), HEWSONVS vero ſimplices quidem dixit particulas, eas tamen planas eſſe et veſiculas liquoris cuiusdam plenas ſiſtere perhibuit. At enim vero, licet vterque tentaminibus variis ſuam ſententiam vero reddere ſimilem ſtuduerit, Noſter tamen fatetur, ſe a propoſita olim **) opinione diſcedere non poſſe, quod numeroſiſſima eiusdem ſemper euentus ex-

 peri-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. P. II. p. 309.
**) ibid. Vol. IX. P. II. p. 268.

perimenta fecerit, et peritiſſimos viros FONTANAM, SPALLANZANVM et CAESAREVM POZZIVM conſentientes habeat.

p. 97. Magnitudo his moleculis conſtans a LEEUWENHOEKIO tributa eſt, SPALLANZANVS autem nuper in ſalamandra duorum generum globulos, oblongos alios, alios minores et ſphaericos facit, ceterum in omni animali aequales eos reperiri contendit, et HEWSONVS aliam, aliamque in diuerſis animalibus molem eſſe, in cete v. c. minorem, quam in frigidis piſcibus, in pullo maiorem, quam in gallina, cet. ſtatuit; veruntamen Noſter, etſi ingenue profitetur, accurata ipſi ad haec diſcutienda haud ſuppetere experimenta, nihil ſe animaduertiſſe refert, quod inaequali eos magnitudine
p. 108 eſſe ſuadeat. Ceterum hos ſanguinis globulos nuper IOH. HENR. LANGIVS pro filorum glomeribus habuit, qui ita ſint in globoſam figuram compacti, vt altero fine in centro coniungantur, altero ſe per ambitum diffundant; nullus vero vnquam clarcrum virorum, qui in indaganda globulorum natura laborarunt, huiusmodi fila detegere potuit.

p. 126. Accedimus cum Noſtro ad ea ſanguinis elementa, quae per alia admiſta corpora innoteſcunt, neque ſua ſe ſponte in ſani, viuique animalis ſanguine oculis offerunt. Non repetemus autem, quae quondam, ipſo HALLERO duce, de ſalibus, oleo, terra, ferro cet. huius humoris diximus *) cum additamentorum potiſſimum rationem nos
p. 143. habere conueniat. Et ad naturam quidem ſanguinis quod attinet, ſatis per experimenta euictum eſt, hoc liquidum in putredinem abire, ſi vel aër illud ambiens

*) l. l. p. 270. ſeqq.

ambiens calid or redditus, vel muſculorum motus auctus fuerit, vel fixum aliquod ſal ipſi ſanguini adiectum. Iam vero huiusmodi putreſcens, ſiue, quod idem eſt, alcaleſcens ſanguis, (verum nuper putredo ab alcalina natura a quibusdam fuit ſeparata,) foetidum primum vaporem exhalat, qui quandoque, potiſſimum ſi in vaſe anguſti colli ſedem putredo habuerit, admodum grauis eſt atque iis, qui eum inſpirant, periculoſus. Neque tamen is modo ſanguis, qui in mortuis animalibus ſtagnat, aut ex viuorum vaſis eductus eſt, in putredinem abit, verum etiam viui homines putreſcente quandoque ſanguine laborant. Sic in malignis febribus frequenter foetet totum aegroti corpus, et in aliis exitialibus morbis ſudor cadaueroſi foetoris exhalat. Similes in ſanguine effectus volatilium ſalium abuſus, victus mere carneus, nimius aëris calor, cet. producit; potentius his autem et cunctis aliis putredinis adiumentis noſtros humores corrumpit ipſa putrilago vtcunque in corpus recepta, veluti putridus cibus et animantium lue peremtorum eſus. Praeterea foetidi funerum et coemeteriorum vapores, aër exhalationibus hominum copioſioribus praegnans, putreſcentis braſſicae acerui, cet. peſtiferas febres excitant, quibus tollendis vix vlla medicina par eſt.

Ceterum effectus putredinis variis modis admiſſae in ſumma virium et irritabilis naturae deſtructione potiſſimum cerni, multis nuper tentaminibus, iisque ſumma cum cura inſtitutis euictum eſt. In nonnullis humoribus, et potiſſimum in iuniorum animantium ſuccis manifeſtus etiam acor reperitur, isque in adipe, in ſucco folliculi dentium, cet. inprimis euidens eſt. Etenim, quanquam multi hoc acidum principium in dubium vocarunt, COLLINVS tamen ſe de eius in viuis animalibus

p. 154.

p. 167.

praeſentia certum reddidit, reperitque in omnibus experimentis in putredinis principiis aliqua non duratura acidae degenerationis ſigna, vt acor praecederet, aliquamdiu cum putredine partitas teneret vices et ab ea denique ſuperaretur. Solet autem acor, qui putredinem praecedit, ingratus, et a vero acido, eoque grato odore et ſapore conſpicuo, diuerſus eſſe, quod in putreſcente animali corrupti olei rancor ſe, vt videtur, cum euoluto acido coniungat. At enim vero inter perpetua ſanguinis elementa acidum Noſter non recipiendum putat, id tamen hactenus credit oſtenſum eſſe, acorem in animalium humoribus latere, qui aeque ac putredo in funere ſe manifeſtius exſerat, etſi vtique haud perinde, vt alcalina degeneratio, conſtans eſt, ſed tandem ipſa diuturniori euolutione ſua in putredinem abit.

p. 213. Seri, ſiue flaueſcentis et aquoſae ſanguinis partis non ſimplex natura eſt; alia quippe eius portio coagulabilis deprehenditur, alia perpetuo fluida manet, et alia mucoſa vtitur natura. Neque vero nuperi quidam Angli audiendi videntur, qui duas in ſero partes, quae alio et alio calore cogantur, diſtinguunt, lympham nempe, quae 114, 120 et 140 gradu Fahr. coëat, et ſerum, quod 150, aut demum 160 gradu ſolidam induat naturam; namque cum nullum aliud diſcriminis ſignum hi phyſiologiae doctores addiderint, videtur, Noſtro iudice, alia pars ſeri ſanguinis aquae plenior et difficilius coagulabilis fuiſſe, alia vero gelatina magis abundaſſe,
p. 223. et proinde minori calore coiuiſſe. Cruſta, pleuritica dicta, huic ſanguineo ſero, cuius attractilis vis ita aucta ſit, vt ſeroſae partes ad ſimiles vehementius accedant, a cruore minus trahantur, omnino originem debet; etenim etſi multi eam a diſſolutione ſangui-

ſanguinis, quae ipſa ſit inflammationis effectus, repetierunt, HALLERVM tamen multa cum ea inſtituta tentamina de eius cum ſero conuenientia reddiderunt perſuaſum. Pus etiam a ſero ita oriri, vt ex eo per putredinem generaretur, et ſedimentum a ſero puri ſimile ſubſideret, nuper dictum fuit, HALLERO autem inflammabilis natura in pure nimis manifeſta eſſe videtur, quae cum a ſero, tum a pleuritica cruſta abſit. p. 226.

Multi animalis corporis ſucci, velut oui albumen, exhalans pericardii, pleurae, peritonaei, et ventriculorum cerebri vapor, liquor hydatidum, aquae hydropicae, cet. ſero valde ſunt affines. Et oui quidem albumen ab acidis eodem, quo ſerum, modo afficitur, neque a coagulabili lympha, niſi admiſtis membranis et natura mitiori, differt. Siccatum hoc liquidum in friabilem ſuccini ſpeciem mutatur et pleuriticae cruſtae eſt ſimillimum. Hydropica aqua, dum recens eſt et a putredine aliena, ſponte in membranas praeter naturam coaleſcentes abit, et a calore non minus, quam ab alcohole et acidis liquoribus cogitur. Ipſe etiam mucus ſolidus euadit, ſi autem aſſeruatur, per putredinem coagulabilem amittit naturam, aut minorem retinet. p. 228.

Ceterum media ſalia quemadmodum rubrum ſanguinem, ita etiam ſerum diluunt, reddunt illud magis liquidum, ſimulque efficiunt, vt etiam ab igne difficilius cogatur. Simili in hoc liquidum ratione agunt ſalia alcalina cauſtica et volatilia, aqua calcis viuae, cet. pleuritica autem cruſta in ſale lixiuioſo fixo et ſpiritu alcalino volatili, non item in aqua, et vix in aquoſa nitri ſolutione, deliqueſcit, ac ſua etiam ſponte in foetidum oleoſum liquamen diſſoluitur, quod tamen coagulabilem ab igne et

ab acore meraco naturam, GABERO *) Auctore, retinet.

p. 245. De commodis, quae ex variis ſanguinis elementis in animale corpus redundant, nihil addimus, in quibus quippe recenſendis, illuſtrandisque HALLERVM ab eo, quem olim laudauimus **), tramite haud deflexiſſe, neque multa iis, quae olim docuerat, adieciſſe, animaduerterimus.

III.

*Vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche Schriften von Lic.* IOH. ERNST GREDING, *ehemaligen Arzte im Armenhauſe zu Waldheim, herausgegeben von* KARL WILHELM GREDING. *Altenburg* 1781. 8. *Seitt.* 320.

h. e.

IOHANNIS ERNESTI GREDINGII miſcellanea medico-chirurgica edita a CAROLO WILHELMO GREDING.

Varia hic Celeberrimi GREDINGII ***) reperiuntur ſcripta, non ſolum ad artem medicam ſpectantia, ſed etiam chirurgicam, quae ipſe vt in publicum proderet, conſtituerat quidem, ſed fato cedere coactus eſt ****).

p. 3. Ac primo quidem videmus in hoc libro *obſeruata quaedam de hydroceles cyſticae varia ſede, ortu, atque compli-*

*) Vid. Mélanges de Philoſophie & de Mathématique de la Société Royale de Turin, pour les années 1760, 1761. pag. 92. comm. noſtr. Vol. XII. P. II. p. 335.

**) vid. comm. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 275.

***) vid. Aduerſar. med. pract. Lipſ. et comm. Vol. XVII. p. 488. Vol. XIX. p. 103. Vol. XX. p. 674. Vol. XXI. p. 176.

****) v. ib.

*complicatione*, cuius rei ſententias, vt PLATNERI, SHARPII, MONROI, BERTRANDI, aliorumque ſcriptorum diuerſas nemo erit, qui neſciat. Quam in rem b. Auctor, quum ipſi copia eſſet, veritatem huius controuerſiae penitius inueſtigandi, ſectiones nonnullorum cadauerum adiutore SCHMIDIO, chirurgo dexterrimo, fecit, vbi in cadauere primo, remotis ſcroti vna cum membrana dartos integumentis, ſaccus, vt putabatur, hernioſus, elaſticus, craſſus in conſpectum venit, qui multis ſtratis muſculoſis, ſibi inuicem incumbentibus, ſat craſſis atque in longitudinem ſacci excurrentibus, tectus erat. Haec ſtrata muſculoſa poſtquam cultro anatomico caute ſeparata erant, alia longe tenuior, pellucida, at vero denſa et polita membrana, ex qua, quum cultri cuſpide ex improuiſo laeſa eſſet, aquae citrinae et inodorae libra vna cum ſemiſſe ad minimum magna cum vi proſiliret, apparuit, quae, effluxo liquore illo, nil niſi teſticulum cum funiculo ſpermatico contineret.

Sectio cadaueris ſecunda binos hydroceles cyſticae caſus extra teſticuli tunicam vaginalem ſiſtit, vbi in primo teſticulus prorſus non, in altero vero obſcurius tantum et quidem non infra tumorem, ſed a latere eiusdem verſus ſeptum ſcroti tactu percipi poterat. p. 10. Tertia denique ſectio proponit duas verae hydroceles diuerſiſſimas ſpecies, vna cum oedemate tunicae vaginalis amborum funiculorum ſpermaticorum praeter oedema ſcroti in inferiore eius parte obſeruatum, atque varia pericula, in quae chirurgus hac in operatione incidere poſſit abſque vlla culpa, oſtendit. p. 17.

Sequuntur *tentamina quaedam de corticis fibrarum radicis hellebori albi viribus et efficacia in melancholico-maniacis et epilepticis morbis tollendis, vel ſubleuandis*. In initio huius tractatus retulit Auctor p. 24.

nonnulla de veratro albo ipſo, eius natura, indole atque patria, tranſit deinde ad tempora antiquiſſima, vbi hanc radicem in manibus medicorum veterum tanquam remedium contra hos morbos grauiſſimos celebratiſſimum et efficaciſſimum videmus, quod diligentiam experientiſſimorum in ſe conuertit omnem. HIPPOCRATES certe huius radicis, vt medicamenti iam diu notiſſimi, mentionem facit, quo ſaepius, at ſumma adhibita cautione, vſus eſt, quam in rem, qui huius remedii vim experiri deberent, ii aliquot dies ante praeparati ſunt, vbi ſimul ad anni tempora attendit. Quo certius autem de huius plantae efficacia fieret Auctor, hanc verno tempore in montibus Luſatiae (*Rieſengebürge*) conquiri curauit, atque radicum fibrillis in vmbra egregie ſiccatis, educto filo ligneo, quod ſupererat, in puluerem redegit, ſaccharoque mixtum aegris primum parciſſima doſi, ſenſim ſenſimque vero aucta exhibuit, ita, vt ſpatio XXIV horarum elapſo vnum tantum granum ipſis daretur. Neque tamen vero in puluere ſolo exhibendo ſubſtitit, ſed extractum quoque ex eodem cortice fibrillarum methodo Stoerkiana paratum, atque vel eodem puluere corticis fibrillarum radicum hellebori albi, vel puluere radicis valerianae ſilueſtris maioris, vel puluere viſci in pillulas redactum aegris praebuit. Sed quum experientia edoctus mox intellexiſſet, pillulas ex puluere hellebori confectas longe minorem, ex ſecundo autem et tertio puluere paratas fere nullum, ratione euacuationum corporis auctarum, producere effectum, has omnes breui ſepoſuit, et puluerem primo loco deſcriptum aegris exhibuit. Effectus non ſemper reſpondit votis, ita, vt pauciſſimi ſuam recuperarent ſalutem.

p. 89. Quo minus autem experimenta cum helleboro albo inſtituta reſponderunt exſpectationi Auctoris,

eo

eo felicius ceſſerunt tentamina cum *aconito* facta. Quae quidem tentamina etſi numero admodum pauca ſunt, attamen vero ad illuſtrandam huius plantae in morbis curatu difficillimis vim et efficaciam multum conferre videntur. Succus ſcilicet ex hac planta expreſſus in vaſe terreo leni igne in ſpiſſi extracti conſiſtentiam redigebatur, cuius grana octo cum ſacchari Canarienſis vncia vna in puluerem ſubtiliſſimum trita vſui ſeruabantur, et in initio quadrihorio quouis ſcrupulus ſemis quotidie aegris dabatur, haec doſis autem ſenſim aucta eſt. Huius extracti Aconiti effectus in tollendis glandularum colli tumoribus ſcirrhoſis eximius facile incitabat Auctorem, vt idem medicamentum in paralyſi eaque iam inueterata compeſcenda et in aſthmate depellendo tentaret, atque adeo ſucceſſus videret feliciſſimos.

Habemus *obſeruata nonnulla de effectu cicutae in cancro mammarum curando*, quae excipiunt aliae quaedam obſeruationes *de vi et efficacia cicutae in affectibus oculorum*. Haec experimenta etſi non admodum admiranda ſunt, eo magis dolemus, mortem praematuram Auctoris, cuius ſtudium indefeſſum homines ſuis doctrinae copiis adiuuandi haud dubie multa alia, eaque grauiora addidiſſet, ex quibus fortaſſe certi quid conſtitui potuiſſet, niſi in medio laborum ſuorum curriculo ablatus eſſet. p. 114. p. 122.

*Aphoriſmi de melancholia, variisque cum hac coniunctis morbis*. Per longum temporis ſpatium obſeruauit Auctor, maniam et melancholiam in aliis dimidiam anni partem, in aliis quadraginta vnum et ſupra perduraſſe. Raro moriuntur tales miſeri mania, quorum duo tantum fuerant, vnus, qui vehementer inſaniret, quemque mater melancholica enixa eſſet, erat vndeuiginti annos natus, alter, qui per ſex annos hoc morbo affectus fuerat, vitam p. 128.

ſuam

ſuam anno vigeſimo ſexto finiuit. At enim vero qui inde a pueritia corripiuntur epilepſia, iis meta vitae paruis cancellis circumſcripta eſt; alii enim anno aetatis vndeuigeſimo, alii, qui hoc malo iam aetate euecti afficiuntur, anno quinquageſimo, immo ſexageſimo ablati ſunt, vt et ii, qui ſtupidi naſcuntur, vſque ad annum vndeuigeſimum, alius ad quadrageſimum primum, alius ad quinquageſimum quartum, et alius ad vndequinquageſimum vixerant. Plurimi horum hominum ante diſceſſum e vita in tabem incidunt, atque hydrope pectoris copioſiſſime afficiuntur, nihilo tamen minus reſpiratio difficilis atque catarrhus ſuffocatiuus in iis frequens reperitur. Quemadmodum autem obſtructio, quae melancholiam et maniam fere comitatur, tandem hos homines ad finem vitae relinquit; ſic aſcite, conuulſionibus, ſubita morte, carie oſſium, atque gangraena correpti pauciſſimi auferuntur. Caluae volumen ad hos morbos parum afferre videtur, quanquam ex maiore capite, reſpectu reliquarum corporis partium, mentis, plerumque imbecillitatem vel praeſagiendo primo iam intuitu diiudicare ſolemus; tamen natura hanc ſibi legem omnino non praeſcripſiſſe videtur, vt omnes ſtupidos, fatuosque capitones effingeret. At vero notatu dignum eſt, plurima crania ex his aegris admodum craſſa, variaque ſingularis craſſitiei reperiri *), ratione figurae autem a naturali non magnopere recedere. Reliqua in his aphoriſmis contenta agunt *de dura, piaque matre: de cerebro in genere: de ventriculis lateralibus cerebri: de tertio ventriculo: de glandula pineali: de cerebello in genere: de quarto ventriculo: de glandula pituitaria: de baſi cranii: de thorace: de pericardio: de corde.*

Finem

*) v. Aduerſar. medico practica, Vol. II. P. III. p. 451. Vol. III P. IV p 501. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 103. et Vol. XX. p. 674.

Finem huic libello imponunt ſectiones variae cum melancholico-maniacis, epilepticis, epilepticoſtupidis, epileptico-maniacis, aliisque morbis demortuis inſtitutae, vbi b. Auctor omnes res, in qualibet corporis parte detectas ſingulares et a ſtatu naturali abludentes mutationes, demortuorum aetatem, vitae genus, morbi ortum, progreſſum et finem candide et ingenue annotauit. Relationes autem morborum accuratiores, amplioresque tradere, etſi ſecum conſtituerat Auctor, tamen, quin plures minus perfectae eſſent, euitare non potuit, praeſertim, cum conſideramus, quod aegri ſumma plerumque mentis imbecillitate affecti ad quaeſtiones propoſitas vel prorſus non, vel confuſe reſponderent, ita, vt veram cauſarum et ſymptomatum morbi rationem non vbique detegere potuerit. p. 218.

IV.

*D.* ADOLPH FRIDRICH VOGEL, *der Arzney-und Wundarzneykunſt Practici in Lübeck, chirurgiſche Wahrnehmungen zweyte Sammlung. Lübeck bey Iverſen und Comp.* 1780. 8. *Seitt.* 88.

i. e.

Obſeruationes chirurgicae. Faſciculus II. Auctore ADOLPHO FRIDERICO VOGEL.

Supplemento tertiae decadis noſtrorum commentariorum ſecundo, quod iam editur, relationem de primo faſciculo harum obſeruationum chirurgicarum inſerendam curabimus. Iam videamus ſolummodo de ſecundi faſciculi contentis, qui dicatus Noſtri Patri IACOBO LEONARDO die eius natali octogeſimo et ſexto. Chirurgiam practicam quantum fieri poteſt, leniorem et ſuauiorem reddere vult Cl. Auctor.

1) De

p. 13. 1) De abſceſſibus in muſculo lumbari interno, quorum latentium diagnoſticum ſignum vix vllum conſtat Noſtro. Lumborum dolorem intermittentem, durum, inſenſilemque in inguine ſiniſtro, tumorem tandem celeriter creſcentem, Noſter hic obſeruauit. Quo mollito et aperto, ſinus ad vertebras lumborum vſque pertingens aderat, ex quo magna puris craſſi copia promanauit, eoque magis inde auctus eſt dolor, quo profundius inſtrumentum penetrarat, inprimis cum pedem in rectum porrigeret. Mortuus eſt hic aeger febre lenta. MORGAGNO *) et ex parte TOMLINSONO **) non aſſentitur Noſter. Origo huius mali ruptis vi vaſis, ſcorbuticae, rheumaticae, vel alius generis acrimoniae, vel metaſtaſi adſcribitur. Plurima haec apoſtemata repetenda ſunt a nimia pſoae extenſione et vi externa. Ac in eo caſu Noſter ſuadet venaeſectionem, ſi opus eſt, iteratam, veſicatoria, diaetam tenuem et parcam, decocta herbarum et radicum cum ſalibus mediis et quietem, vt internae inflammationi optime officientia remedia.

2) Vulnus ſclopeti per ſiniſtri pectoris cauitatem pulmonis ſubſtantiam penetrans cum fractura duarum coſtarum. Locus, in quo globus dorſum perforauerat, quatuor pollices et dimidium a vertebris diſtabat, prope ſiniſtrae ſcapulae angulum inferiorem, exierat vero e pectore in diſtantia quatrunciali a ſterno. Vulnere ampliato, ob pulmonis ſubſtantiam dilaceratam apparebant haemoptoë, pectoris anxietas, aëris pulmonalis exitus e vulnere. Ad euocandum extrauaſatum e pectore non vſus eſt machina a b. LVDWIGIO ***) propoſita, ſed inſtrumento

*) De ſedibus et cauſis morborum. Liber III.

**) *Mediciniſche Bemerkungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London, 5ter Band.*

***) v. Aduerſaria medico practica Vol. I. p. 517. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 507. it. Vol. XIII. p. 148. et XVIII. p. 32.

mento clyſmatico cum canali corneo curuo, foramine vno pertuſo ſex pollicum. Multis fractis coſtarum particulis exemtis et vulnere depurato, iniectionibus, cortice, antiphlogiſticis remediis cet. ita recuperauit aeger ſuam ſanitatem, vt quiete ruri viuat, appetitu gaudeat, ſomno vero tranquillo, ſi matutinum tempus excipias, quo tuſſis eum turbat, vtatur. Scalarum aſcenſu et inceſſu celeri reſpiratio fit breuior, milliariorum vero itinera tarde facit. Vulnus autem conſolidari poteſt minime, ob anxietates, quae collectionem puris ſequuntur. Quapropter hactenus canaliculo vti cogitur aeger.

3) Extrauaſatio ſanguinis ſub pericranio. Puer nimio impetu capillis ab alio bis leuabatur. Dolores celabat per octo dies, quo tempore magnus tumor capitis detegebatur, qui, occupans ſiniſtram capitis partem, tres pollices altitudine aequabat. Inciſione facta et ſuppuratione peracta, aeger ſanitati eſt reſtitutus. Cl. TENON *), qui balſamum ARCAEI cet. nudis oſſibus applicuit, Noſter aſſentitur et pinguibus eſt vſus in quibusdam exemplis. p. 45.

4) De ſingulari fluxu ſanguineo ex vrethra. Gonorrhoea chordata laborans coitum vrgebat. Quo facto magnam ſanguinis copiam in induſio et braccis detegebat et ſanguinis guttae ex vrethra cadebant. Amico ſuadente, calidioribus vtebatur aeger remediis et fluxus ille ſedabatur quidem, attamen lotii exitus plane erat impeditus. Cathetere applicato et herbarum amararum epithematibus et clyſmatibus cet. adhibitis, malum hoc ceſſit, gonorrhoea p. 51.

*) Mémoir. de l' Académie des Sciences de Paris 1757. p. 372. comm. noſtr. Vol. XII. p. 3. et 593. et Vol. XIV. p. 593.

rhoea vero vehementior fiebat, quae quoque dein ſanabatur.

p. 54. 5) De ranula duplici connata quinque ſeptimanarum aetate, cuius extremitatibus abſciſſis, humor tenuis, turbidusque emanabat atque ita haec ranula diſparuit et infans bene ſeſe habet.

p. 56. 6) De duarum lacrymalium fiſtularum operatione cum deſcriptione methodi Monro-Catianae *), obſeruationibus additis, hanc operationem attinentibus.

p. 73. 7) De ſupergrandi et vere ſcirrhoſa tonſilla ſenſim prorſus ſublata. Erat ſiniſtra magnitudine oui anatis, quae vuulae prorſus officiebat et cadaueroſum ſpargebat odorem teterrimum. Cultro, aliisque in et externis remediis per ſex menſes hic aeger ita ſanitati eſt reſtitutus, vt huius mali ne veſtigium quidem in ore poſſit detegi.

## V.

A Treatiſe on the Theory and Management of Ulcers, with a Diſſertation on white Swellings of the Joints, by B. BELL, Member of the college of Surgeons of Edinburgh etc. 1778. 8. pagg. 400. **).

i. e.

BENIAM. BELL tractatus de vlceribus et tumoribus albis articulorum.

Effi-

*) VANDERMONDE Journal de médécine Tom. X. Avril 1759.

**) BENIAMIN BELLS *Abhandlung von den Geſchwüren und deren Behandlung, nebſt einigen Bemerkungen über die weißen Geſchwülſte der Gelenke und die chirurgiſche Behandlung der Entzündung und ihre Folgen. Aus dem Engl.* Leipzig 1779. 8.

Efficiunt vtilem hunc librum tres partes, quarum prima in cauſis et ſymptomatibus inflammationis, altera in vlcerum theoria et chirurgia cernuntur, tertia ſiſtit annotationes ſupra tumores albos (*white Schwellings*) ſ. hydropem articulorum.

Inflammationis fines dum perſequitur Noſter, cum Cl. CVLLEN *) ſcirrhum non ad eos refert, cuius theoria cernitur, vel in ſtimulo auctum motum vaſorum efficiente, vel vti CVLLEN **) quoque aſſerit, in ſpaſmo. Ad ſaturnina deinde venit Noſter remedia, quae contra GOVLARDVM in ſphacelo et gangraena atque in ſuppuratione expedienda diſſuadet, nec prorſus negat reſorptionem horum remediorum. Acetum ſolum in cataplaſmate externe applicatum hic Noſtro bonos edidit effectus. Topicas ſanguinis euacuationes per hirudines vel per cucurbitulas in inflammationibus partialibus Noſter laudat, pariter ac venaeſectiones ad febrem cum ſymptomatibus imminuendam, lenia laxantia cet. Sect. I.

Puris origine explanata, ſuppurantia in remedia Noſter inquirit, additis aliis atque aliis cautionibus. Maturi dein abſceſſus ſunt ad aëris acceſſum in vulneribus adeo noxium impediendum, ad nimis celerem puris euocationem retardandam, ad dolores imminuendos et ad aptam cicatricem celeriter formandam, ſetaceo aperiendi. Quibus e contrario inciſis, febris lenta, aliaque ſymptomata ſuperueniebant, quae omnia ſetacei ope euitabantur. Nam ad viginti annos Edinburgi JAMES RAE chirurgus ita tractauit abſceſſus, vbi omnia ſubſequebantur ea commo-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 487.
**) ibid. Vol. XXIII. p. 683.

commoda, de quibus non multo ante diximus. Nuper quidem huius methodi iam facta eſt mentio, Cl. RAE tamen continuo ea vſus eſt, et varia quoque inſtrumenta pro tumorum diuerſitate inuenit. Curva autem acu, quam Cl. BELL hic in icone ſiſtit, et cuius vſum oſtendit, in omnibus abſceſſibus vti poſſe demonſtrat; inſtrumentis igitur a RAE inuentis ſuperſedere poſſumus.

Setaceum poteſt et aliis tumoribus chronicis, vt melliceris cet. eadem cum vtilitate applicari. Praeterea non fruſtra vſus eſt Cl. RAE ſetaceo in hydrocele *), interim tamen ob irritationem, huiusque herniae complicationem, quae cernitur in ſarcocele cet. Cl. BELL haec diſplicet methodus. Acum triquetram ad aquas hydropicorum euocandas emendatam icone illuſtrat. Cl. KRAVSIVS pariter iconem acus triquetrae verſioni Germanicae libri de hydrope Cl. MONRO **) addidit.

Sect. II. De gangraena et ſphacelo diſſerit Noſter et anthraces vt effectus eius memorat. Inter remedia antiſeptica potiſſimum extollit corticis Peruviani puluerem cum ſpirituoſis et elixirium vitrioli interne, atque externe praefert ſolutionem lenem ſalis ammoniaci in aceto, gummatibus, balſamis, ſpirituoſis remediis, ſcarificationique ***) cet. ob nimiam irritationem, quae hoc modo euitatur.

Diſpeſcuntur vlcera a Noſtro in duo genera, quorum vnum partialia, ſeu localia attinet, quae a nullo morbo pendent, alterum comprehendit ea, quae

*) v. comm. noſtr. ind. Imae et IIdae decadis ſub verbo *ſetaceum*.

**) v. ſupra p. 562.

***) comm. noſtr. Vol. XX. p. 408. 712. it. PERCIVAL POTT'S chirurgical obſervations.

quae a morbo praegreſſo vel proficiſcuntur, vel cum eo ſunt coniuncta. Quae diuiſio dirigere medicum et chirurgum in vlceribus ſanandis oportet. Diuerſitatem cauſarum deſcribit Noſter in tres claſſes, quarum prima accidentales ſ. occaſionales complectitur, altera praediſponentes ſpectat, quorſum referuntur omnes morbi, qui cum laeſionibus ſingularum partium, ſeu cum metaſtaſibus aduerſus ſingulas corporis partes alunt contagium, tertia demum claſſis omnia ea vlcera capit, quae per combinationem occaſionalis et praediſponentis cauſae oriuntur, atque huc pertinent chronica. Prognoſis repetenda eſt a natura variarum occaſionalium cauſarum (*exciting cauſes*), quae origini ſeruiunt, item a diuerſitate locorum, ab aetate et reliquis corporum conſtitutionibus. Si fonticulo (*pea-iſſues*), vel ſetaceo ſuccurritur, omnia vlcera ſanari poſſunt. Sunt, qui hac de re dubitent, atque eos Noſter refutat. Multum autem hic confert modus vlcera ſanandi. Quatuor periodos eorum, digeſtionem ſcilicet, vel ſuppurationem, deterſionem ſ. depurationem, incarnationem et cicatriſationem non attendit, diuerſisque medicamentis ſecundum has non opus eſt, vt ſuppurantibus, exſiccantibus cet. Ad primam vlcerum claſſem *) referuntur ſimplicia purulenta, ſimplicia maligna ſpongioſa, fiſtuloſa, calloſa, carioſa, carcinomatica, cutanea: alteri claſſi traduntur venerea, ſcorbutica et ſcrophuloſa.

Vtramque duabus ſectionibus Noſter perſequitur, additis chirurgicis auxiliis, quae redintegrationem partium laeſarum et omnino vulneris conſolidationem attingunt. Vrget porro iuſtum caloris gradum in vlcere ad ſuppurationem recte dirigen- Sect. II.

 dam.

*) v. ſupra.

dam. Quietem, quam veterum et recentiorum plerique vulneratis ſuadent, ipſis non interdicit, vti nonnulli volunt *). Nimis ſiccam et tenuem diaetam hic reiicit et lautiorem e contrario interdum commendat. Omniaque omnino alias adhibita in vlceribus ſanandis remedia, vt laxantia et quae corporis debilitati ſeruiunt, ſunt mittenda.

Sect. III. Inter varias annotationes, a Noſtro communicatas et potiſſimum vlcera maligna reſpicientes, pertinent etiam eae, quas contra Cl. ROWLEY dixit, laudans in iis vlceribus nitrum depuratum **), quod Noſter non ita vtile in his animaduertit.

Sect. IV. Haec ſectio carnem fungoſam, ſeu hyperſarcoſin ſpectat. Inquirit Cl. Auctor in duplicem eius originem, quae partim in fundo vlceris impuro deprehenditur, partim pendet a nimio partium incremento, et haec duplex origo illius carnis dirigit curationem. Quod ſi haec caro a nimio incremento proficiſcitur, omnibus cauſticis praefert Noſter lapidem infernalem; ligaturam quoque a Cl. CHESELDEN ***) ad tollendas tonſillas induratas laudatam commendat.

Sect. V. Progreditur ad vlcera ſinuoſa et fiſtuloſa, quae potiſſimum deriuari poſſunt ab imminuto puris libero effluxu, atque recenſet ea tractandi modum varium et ſetacea ſuadet.

Sect. VI. Calloſitatibus vlcerum praeſentibus, Cl. BELL poſtponit cultrum, ceteraque remedia lapidi infernali ſ. cauſtico lunari.

Sym-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 566.
**) v. ib.
***) v. EIVS annotationes ad LE DRAN operat. in Surgery, Tab. IX.

Symptomata et ſigna, cauſae et prognoſis, metho- Sect. VII.
dusque medendi carie coniuncto vlceri narrantur. Cauſtica a Cl. Auctore hoc in caſu non admittuntur, et trepanum perforatorium ſolum laudatur.

Progredimur ad vlcera carcinomatica, quorum Sect. VIII.
ſymptomata, ſigna, cauſasque Noſter expendit et in medelam inquirit. Vtrum cancer vniuerſalis, an particularis ſ. localis ſit morbus? breuiter diſquiritur. MONRO*) ſenior infelicem huius morbi exitum obſeruauit, e contrario autem HILLIVS **) feliciorem, cuius poſterioris operationibus ſaepius interfuerat, quemque inter induſtrios et diligentes obſeruatores refert. Quapropter, quae huc pertinent ex HILLIO de induſtria excerpſit. Potiſſimum proficiſci hoc malum carcinomaticum ab externa cauſa, ibique ſemper optimum omnium reliquorum remedium eſſe cultrum, nec diu differendam operationem, inprimis quum, neglecto malo hoc locali, interne penetraret, et ex ſententia Cl. BELL rariſſime, quid quod nunquam ab vniuerſali corporis morbo repeti illud poſſet. Praeterea indicantia, contraindicantiaque ſedulo attendenda et variae cautiones ante, inter, et poſt operationem, quas addit, adhibendae ſunt. Fonticulo poſt operationem, vti ſolent, praefert ſetaceum et quidem non eo in loco, vbi carcinoma eſt exſtirpatum, ſed alibi applicatum.

Nona ſectio exponit vlcera cutanea. Quod Sect. IX.
attinet ſpecierum diuerſitatem ad herpetis genus pertinentium, quatuor effecit Noſter. Ac *prima* quidem herpes farinoſus (*Dry Tetter*), *ſecunda* puſtuloſus (*Skingles*), *tertia* miliaris (*Ringworm*),



*) v. Edinburgenſe diarium, Vol. V.
**) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 685. it. p. 690 ſeqq.

et *quarta* exedens ſpectatur. Herpeti exedenti ſunt vlcuſcula parua, quae plerumque cutem veram occupant, interdum tamen eorum materia profundius penetrat, atque contextum celluloſum et muſculos corrumpit. Ac tunc nominatur vlcus depaſcens, ſeu phagadaenicum. Iniuſto modo haec vlcera vt ſcorbutica, ſeu a ſcorbuto humorum proficiſcentia, ſunt tractata. Hic enim reſolutionem, putredinemque humorum prae ſe fert, illa vlcera plane contrarium indicant humorum ſtatum, nempe inflammatorium. Sunt et alia peculiaria phaenomena vna cum veris vlceribus ſcorbuticis non multo poſt a Noſtro expenſa, at ea ab herpetibus diſtinguenda.

Sect. XXIII. Venerea, ſcorbutica et ſcrophuloſa vlcera pertinent ad ſecundam claſſem, cuius ſupra mentionem fecimus. Quanquam venerea etiam poſſunt apparere vlcera, quae non ab vniuerſali corporis corruptione deriuari oportet, ea tamen hic Cl. BELL quoque perſequitur, etiamſi ſecundum ſui inſtituti rationem ad primam claſſem pertinent.

Quod ſcripta de ſcorbuto attinet, Cl. LIND*) potiſſimum laudat tractatum, qui etiam in Germanica legitur lingua **), adiectis nonnullis additamentis. Omnem omnino curationem vlcerum dirigunt eorum claſſes. Sunt plerumque localia praeter ea, quae a decima vſque ad decimam tertiam ſectionem cum Noſtro propoſuimus. Proſunt et obſunt corporibus vlcera non ob materiem, quae ex iis eliminatur, ſed ob maiorem, minoremve materiei effluxum. Quapropter inueterata vlcera

*) v. comm. noſtr. Vol. IV. p. 238.
**) ib. Vol. XXIII. p. 381.

cera poſſunt ſanari fonticulo, quo eadem copia humiditatis extrahitur, qua corpus per hoc vlcus eſt liberatum cet.

Venit Cl. Auctor ad tumores albos (*white Swellings*), ſeu hydropem articulorum. Ac primum quidem originem et progreſſum horum tumorum perquirit; dein attendit phaenomena, ad quae eſt reſpiciendum, quo horum tumorum diverſitas expendatur; additque occaſionales et praediſponentes cauſas: demum varia remedia, eorumque effectus recenſet. Pars III.

Experientia quidem teſte apparent hi tumores in quolibet articulo, crebrius tamen in maioribus, quam in minoribus, et bis ſaepius circa genu et malleolos, quam in aliis articulis *). Diſpeſcit Noſter hos tumores duas in ſpecies, prorſus inter ſeſe diverſas, quarum vna leuioris gradus eſt altera; palliatiuam non raro admittit curam, ſed interdum plane curari poteſt, atque nominatur rheumaticus tumor albus; alteri, iique illa multum graviori et propemodum prorſus inſanabili nomen pertinacis ſ. ſcrophuloſi tumoris albi impoſitum eſt. Diſpoſitio rheumatica adeſſe debet ad tumorem rheumaticum album oriundum, et haec ipſa tumoris ſpecies potius cadit in iuuenes plethoricos, quam in eos, qui plethorico ſ. ſanguineo contrarium habent temperamentum. Quapropter Noſter inflammatorio ſ. rheumatico morbo ligamentorum in iis articulis, quos occupauit, primam ſpeciem tumorum albórum adſcribit, ſit haec inflammatio orta a quacunque cauſa.



*) vid. indic. primae et ſecundae decadis noſtr. comm. ſub verb. *tumores albi genu articulorum hydrops, fungi:* it. v. MONRO *von der Waſſerſucht* etc. cuius libri verſionem Germanicam in comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 562. laudauimus.

Altera e contrario ſpecies, eaque ſcrophuloſa pendet ſolummodo ab oſſium morbo, dum molles partes, hos articulos circumcingentes, in progreſſu morbi per connexionem vicinam patiuntur. Atque ea ſcrophuloſam diſpoſitionem corporis requirit. Vtilitatem autem diſtributionis horum tumorum monſtrat Noſter ex medendi methodo.

Rheumatica tumorum horum ſpecies poſtulat antiphlogiſtica remedia. Scarificationem localem praefert Noſter venaeſectioni et hirudinibus. Veſicatoria parti laeſae applicata. Embrocationes ab aliis laudatas non ſpernit, ſi calidae et emollientes ſunt. Noſter vero iis non eſt vſus. Porro mentionem facit olei oliuarum, quod parti laeſae illiniatur, variarum recens mactatorum animalium partium naturaliter calidarum, parti impoſitarum, cet.

Quibus quidem omnibus hactenus recenſitis remediis ante ſuppurationem eſt vtendum. Pure enim formato nullam amplius haec remedia vtilitatem afferre Auctor profitetur. Sed ſubito illud pus euocandum eſt, atque hic pariter ſuadet ſetacea, quae ſupra iam laudauit. Ad amputationem quod attinet, hanc eſſe dicit vltimum auxilium, et caute monitu ſuo tunc inſtituendam. Secundum Cl. Auctoris experientiam non poteſt methodus medendi ſcrophuloſae ſpeciei tumorum horum proponi.

---

VI. Cli-

## VI.

Clinical experiments, hiſtories and diſſections. By FRANCIS HOME. London 8.*).

i. e.

Clinica tentamina, hiſtoriae morborum et cadaverum ſectiones, Auctore FRANCISCO HOME.

Cl. HOME laudabile conſilium cernitur in eo, quod per tentamina hoc in libro nobiſcum tradita, effectus et virtutes diuerſorum notorum medicamentorum definiuerit, et in aliis nouas vires detexerit. Quae vt ſecuriores et certiores euaderent obſeruationes, effecit, vt, indicatis die et anno, quibus aegri in noſocomium mittebantur, quaelibet obſeruatio a Noſtro hic inſerta in diariis practicis noſocomii euolui et cum ſua relatione comparari poſſet. Multo ampliores in his diariis reperientur obſervationes, ac in Cl. HOME libro, quoniam breuitati ſtuduit. Morborum eorum porro tradit Cl. Auctor accuratas hiſtorias, qui maxime ſunt inconſueti, vel quorum indoles nondum recte erat definita, additis praeterea cadauerum ſectionibus. Atque ita effectum eſt a Noſtro, vt aliorum atque aliorum medicamentorum effectus ſiue aucti, ſiue imminuti, quorundam virtutes valde laudatae paulo aliter obſeruatae ſint. Aliis autem remediis nouae vires ſunt tributae, quas pericula, cum iis in poſterum facienda, eſſe confirmatura, ſperat Noſter.



*) Germanicum quoque hic liber translatus eſt in ſermonem: FRANZ HOME, *der Arzneykunſt Doktors, Königlich Engliſchen Leibarztes, Mitglieds des Königl. Kollegiums der Aerzte in Edimburg, und öffentlichen Lehrers der* Materia medica *auf beſagter Univerſität, kliniſche Verſuche, Krankengeſchichten und Leichenöffnungen. Aus dem Engliſchen überſezt. Leipzig* 1781. 8.

Sect. I. Tentamina, iuſtum definiendi temporis punctum, quo cortice Peruuiano in intermittentibus vti poſſint medici.

Sect. II. Remedia quaedam in typho neruoſo. Cuius differentia non adeo magna reperitur in ventriculo, qui nauſea et vomitu laborat, vel non; in inteſtinorum item, diarrhoea vel obſtructione affectorum, conditione, vel demum in ſiccitate, ſiue humiditate cutis. Ceteroquin neruoſae febres inter ſe quoad ſymptomata conueniunt, quorum remedia ſunt cortex Peruuianus, qui plerumque vt vinum agit; effectus corticis autem tardiores ſunt, ac vini. Vtrumque hic obeſſe et prodeſſe ex additis patet obſeruationibus. Porro diſputat Auctor de cantharidum, fomentationum pedum, camphorae, antimonialium praeparatorum, opii et petaſiae viribus; haec radix inſapora et inefficax ab eo iudicatur. Camphora his febribus neruoſis obeſt et veſicatoria non merentur illam fidem, quae iis hactenus eſt data. Pulvis D. JAMES ſeu IACOBI dictus non reiicitur a Noſtro in his febribus; pedum fomentationes ſunt perutiles cet.

Sect. III. De pleuritide ſpuria ſ. pleurodyne SYDENHAMI. Quatuor potiſſimum ſymptomata, dolor lateris, tuſſis, dolor capitis et ſomni defectus his aegris erant moleſta. Oritur haec a refrigerio. Veſicatoria et gummi Arabicum vtilia in hoc morbo a Noſtro ſunt deprehenſa.

Sect. IV. De febre puerperali. Quanquam ſymptomata huius febris propemodum in omnibus aegris conveniunt, et phaenomena poſt mortem in ſectis cadaueribus apparentia deprehenduntur eadem; Noſter tamen putat pertinere hanc febrem ad eos morbos,

morbos, quorum natura perfecte non cognita ſit. Id quod ex obſeruationibus Auctorum, HVLME, LEAKE, WHITE, aliorumque *), qui varie ſentiunt de huius morbi indole, elucet.

Quod ſpectat huius morbi cauſam proximam, de qua diuerſimode diſputant Auctores, reduxit eorum ſententias ad has ſeptem: 1) ad lochiorum obſtructionem, 2) ad vteri inflammationem, 3) ad lactis aberrationem, 4) ad omenti et inteſtinorum inflammationem, 5) ad ſuppurationem omenti et conuerſionem materiei puris ſimilis ad abdominis cauitatem, 6) infectionem et 7) ad aëris rationem, quae ortui morbi epidemici indulgeret. Quibus diſquiſitis, ad medendi huic febri rationem tranſit diuerſam **), quae repetenda eſt a cauſarum varietate.

De morbillis. Quos Auctor refert ad morbos diffi- Sect. V.
ciles et periculoſos, etiamſi quam plurimi de iis plane nihil timendum cenſent. Sexto die poſt infectionem huius morbi initium Cl. HOME obſeruauit, atque hoc quoque in iis, vbi morbilli ſunt implantati; interdum ſeptimo ſeu octauo die. Differunt a variolis, nec ferunt medendi variolis rationem.

Addidit hic Noſter exemplum lethalium: Tertium ſtadium ſ. periodus, exſiccationis nempe (*Stadium of exareſcence*), ſexto die plerumque incipit, hic nono obſeruabatur. Diſparuerunt morbilli in extremitatibus, in facie autem videbantur copioſiores cum tuſſi aucta et pectoris, capitisque dolore. Aluus erat per totius morbi decurſum obſtructa, cutis ſicca, nec humida, ſomni defectus, aliaque ſymptomata valde maligna. Venaeſectio, ſinapiſmi, emetica, clyſmata, cet.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 73 ſeqq. ib. p. 77. it. comm. noſtr. Indic. IIdae decad. ſub verbo *puerperae*.

**) v. loca ſupra laudata.

cet. nihil efficiebant. Secto itaque cadauere, aſpera arteria materia puri ſimili deprehendebatur impleta, ceteroquin nulla vlcuſcula, nec quidquam aderat praeter internam aſperae arteriae inflammationem. Diſſecato lobo pulmonum dextro multum emanauit ſanguinis, vti etiam ſimilis materia ex bronchiis, in ſiniſtro e contrario parum profluxit, vbique autem in bronchiis erat puri ſimilis liquor. Pulmones naturalem prodebant colorem, nec adhaerebant inter ſe. In pericardio propemodum duae, vel tres vnciae ſeri reperiebantur. Abdominalia viſcera bene ſeſe habebant.

Regularum practicarum ex hac ſectione a Noſtro depromtarum ſunt hae: Regimen frigidum eſt vitandum; periculoſa ſymptomata morbillos interdum concomitantia non ſunt repetenda ab inflammatione pulmonum; venaeſectio non ſemper officit cauſae huius morbi, etiamſi haec ſymptomatum leuamen efficiat cet.

Sect. VI. Tentamina cum nonnullis medicamentis, quibus in phthiſi pulmonali vtuntur. Nullum morbum Noſter ſolemniorem et inſanabiliorem obſervauit, quam hunc. Varias itaque medendi rationes Cl. HOME perſequitur.

Ac primum quidem remedium eſt acidum vitriolicum, quod Noſter pariter ac alumen *) in hoc morbo diſſuadet. Cortex Peruuianus **) a Cl. HOME in libro: *medical facts* cet. ***) in phthiſi noxius eſſe iudicatur. Amylum videtur in hoc morbo locum habere et quidem eo in caſu, vbi ſputum eſt tenue cum multa faucium titillatione. Noſtri ſubiectum eo non leuabatur ob viſcidi multitudinem

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 625.
**) ib. Vol. XIV. p. 53.
***) ib. Vol. IX. p. 495.

nem et glandularum laxitatem. Aër mephiticus *), fotus ex thure. Plurima horum narratorum remediorum nullum hic attuliſſe leuamen, praeter amylum et aërem mephiticum, qui accuratioribus indiget tentaminibus, ex obſeruationibus his apparet.

De melaene. Morbus niger HIPPOCRATIS ſ. S. VII. ſeceſſus cruentus HOFFMANNI ita a SAUVAGES nominatur. Varie medicos hoc de morbo **) ſenſiſſe, ex HIPPOCRATIS, BOERHAAVII, SYDENHAMI, VAN SWIETEN cet. ſcriptis facile intelligi poteſt. Saepenumero eſt hic morbus mere ſymptomaticus, ex obſtructione hepatis, lienis et ſ. p. obortus. Qui ſi circa finem alius morbi accedit, lethalis eſt iudicandus. Verum crebro eſt hic morbus idiopathicus, nec, vti Cl. HOME eſt expertus, adeo periculoſus.

Quae cum ita ſint, tria Noſter hic praemittit exempla et in vſus medico practicos conuertit. Atra bilis non ſiſtit huius morbi cauſam, ſed ſanguis ex vaſis meſaraicis. Nam aeger ſecundus ſanguinem per aluum emittebat, in tertio per vomitum et per aluum, atra materia ante euacuata et vtriusque excretio partim erat plane ſanguinea, partim atra, et ſumma debilitas cum hoc morbo eſt coniuncta. Primus aeger magnum ſentiebat diſcrimen, dum fuſca, ſiue atra erat excretio; atram enim magna ſubſequebatur debilitas. Praeterea hic ater morbus ſuccedebat haemorrhagiis, et ſcorbuticis potiſſimum eſt communis; ſectis cadaueribus, vaſa expanſa et tumentia deprehenduntur, nec rarius viſcera obſtructa.

Quibus omnibus expenſis rebus, Noſter quoad cauſam huius mali nullam ſupereſſe dubitationem arbi-

*) v. ſupra. **) ib. indices ſub verbo *morbus niger*.

arbitratur. Sedes huius quidem morbi eſt definita difficilis, attamen cum de dolore ventriculi hi omnes aegri conquererentur, ibi quoque videtur eſſe ſedes mali. Sed duo horum aegrorum nullum, vnus cruentum vomitum, paſſi ſunt. Fortaſſe inde concludit Noſter, fuiſſe in duobus ſedes mali in ileo, in vltimo vel in ventriculo, vel in initio tenuium inteſtinorum. Debilitatem adeo magnam huic morbo propriam, quam alii et nos quoque obſeruauimus, deriuat partim a ſanguinis diſpendio, partim ab exhalationibus cruoris acris et putridi, quae per reſorptionem cum neruis communicantur. Criſis apparebat octauo, et decimo quarto circiter morbi die. Primi criſis erat continuatus fluxus, ſecundi ſudor et vrina turbida; tertius vero aeger non prodebat euidentem criſin.

Non temere Auctor medendi huic morbo rationem expendens, venaeſectionem non aliter hic locum habere poſſe putat, ac ſi pulſus eam poſtulet, quoniam alias venaeſectio mortem conciliat, ob debilitatem maxime inſignem, quam peculiarem ſupra memorauimus. Vomitoria in hoc morbo prorſus non noxia ſunt, et lenia laxantia ex rhabarbaro cet. conducunt. Infuſum Tamarindorum vomitus quidem excitare videbatur, attamen colorem excretorum aluinorum breui mutabat. Oleum Ricini et clyſmata auxilium ferunt. Natura morbi poſcit medicamenta ſanguinis profluuia ſiſtentia (*antihaemorrhagic medicines*), vnde Noſter acido vitrioli cum gummi Arabico vſus eſt. Ligaturas pedum, ab HOFFMANNO laudatas non potuit ob dolores ingentes ex his excitatos vnus aeger ferre, videnturque Noſtro in vniuerſum non adeo neceſſariae et vtiles. Opiata plane reiicit in hoc morbo.

Tenta-

Tentamina cum Rhododendro chryſantho PALLAS. Noſter doſin a KOELPIN*) definitam non adhibebat, ſed a minori incipiebat, et, ſi opus erat, ſenſim, ſenſimque augebat, vti et cum aliis remediis eſt agendum, ſed fruſtra. Quapropter illius vſum non laudat. S. VIII.

De cephalalgia; de linimento ophthalmico SLOANE in albugine ſ. leucomate; de remediis antiſpaſmodicis. Quibus cum multis fecit Cl. HOME pericula, vnde intellexit, antiſpaſmodicorum vires nondum hactenus determinatas eſſe, quoniam, multa ſpecifica ſuam virtutem non exſeruiſſe, tentaminibus ſuis declarabatur. Putat vero hanc rem non ab antiſpaſmodicis remediis, neque ab horum morborum pertinacia cet.; ſed a defectu diligenter et ab omni parte accurate inſtitutorum cum iis tentaminum proficiſci. Id quod praeterea in omnem omnino materiae medicae cadit doctrinam. Sect. IX – XI.

Quapropter Cl. HOME, quo huius defectus quodammodo redintegraret, et rationem in vniuerſum oſtenderet, qua medicae arti conſuli poſſet; quatuor in claſſes diſpeſcuit antiſpaſmodica. Ac primae folia aurantiorum, cardaminen pratenſem LINN., artemiſiam, radicem paeoniae, viſcum quernum, hyoſcyamum, caſtoreum, moſchum, electricitatem aliaque; ſecundae camphoram, timorem ex ſubitaneo terrore, flores zinci et veſicatoria; tertiae aſam foetidam, et mercurium cet.; quartae tandem corticem Peruuianum, opium et venaeſectionem adſcripſit. Ex tentaminibus a Noſtro inſtitutis et hic collectis intelligitur, antiſpaſmodica praeter hanc etiam alias habere virtutes, quae vſum horum antiſpaſmodicorum atque effectus valde dirigunt.

Quas

*) v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 658.

Quas vires Cl. HOME diſtribuit in ſtimulantes, ſiue inflammationem efficientes (*ſtimulants, or inflammatory*), et in lenientes, ſ. inflammationi officientes (*ſedative, or antiinflammatory*). Illis pollent electricitas, mercurius, valeriana, aſa foetida, cortex Peruuianus, opium e. ſ. p.; his autem venaeſectio, moſchus, camphora, caſtoreum, cardamine, aurantiorum folia, cet. Antiſpaſmodica primi ordinis exhibenda ſunt debilibus, et quibus de nulla inflammatione timendum eſt; ſecundi generis antiſpaſmodica tum praeſtant, cum febris et inflammatio praeſunt, quo in caſu ſaepe venaeſectio, vt optimum antihyſtericum, opem tulit, cet.

S. XII. Remedia contra paralyſin et cum iis tentamina inſtituta hic proponuntur. Sunt venaeſectio, arnica, vrticatio, balneum tepidum.

S. XIII. De effectibus olei terebinthinae in iſchiade, quae, in viros magis, quam in feminas cadere videtur, ac crebrius in ſenes, quam in iuuenes. Differt quoque hic morbus a rheumatiſmo. Cauſam autem iſchiadici mali Noſter iudicat dubiam eſſe, et illam, quam Cl. COTVNNIVS*) tradit, prorſus reiicit. Forſan repetendus eſt hic morbus a conuerſione humorum ad vaſa nerui iſchiadici, quibus obſtructis acrimonia in iis oritur. Id quod monſtrare febriles impetus, coniunctio aliarum criticarum obſtructionum cum iſchiade, et vtilitas, quam hic praeſtant diſcutientia et euacuantia remedia, Noſtro videntur.

Methodus medendi tam interna, quam externa proponitur. Quod autem attinet terebinthinae olei cum melle mixti vſum internum Noſter eum didicit

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 25.

didicit a Cl. CHEYNE, qui, vt admodum caute vſurpetur, optat, quoniam ſtranguria, mictus cruentus, vomitus, aeſtus ventriculi, appetitus proſtratus cet. hoc oleo, licet magna cum mellis copia exhibito, efficiantur. Quod ergo oleum Cl. HOME iſchiadicis ſenibus mane et veſperi cum largo potu parce dedit et in acutis morbis, inflammatoriis, arthriticis cet. prorſus reiecit. Definiuit quidem Noſter doſin huius olei, cui multum mellis quoque admiſcet, attamen optime eiusmodi remedia primum minima in doſi exhibentur et dein quoad effectus in ſingulo aegro doſis ſucceſſiue mutari poteſt. Ob acrem autem et cauſticam terebinthinae olei indolem et inde ortae inflammationis cet. metum interne terebinthina cum aqua cocta tutius eſt ſubſtituta.

Tentamina ſuper effectibus topicis cuiusdam vnguenti in lumbagine. De diuerſis agit Noſter iſchuriae ſpeciebus, renali nempe, veſicali, vrethrali. Iſchuria renalis et vreterica haud frequenter obveniunt, cum renes et vreteres, vti conſtat, ſint duo. Narratur hic eiusmodi caſus notabilis et ſectio cadaveris traditur. Vrethralis raro a Noſtro eſt obſeruata. S. XIV. et XV.

Diabetes ab ARETAEO bene deſcripta eſt. Vrina diabetica in ſe continet ſaccharo ſimile ſal, eaque eſt, vti Noſtro videtur, vrina aucta et ſubdulcis; ſiti hoc malo affecti perpetua, cute arida et plerumque ſquamoſa laborant. SAUVAGES ad ſeri fluxus, et CULLEN ad ſpaſmos hunc morbum refert. S. XVI.

Ex cadaueris ſectione patet, vtrumque renem magnitudine gaudere inſigni, minus ſolemni mollitie atque pallore. Ceterum ſtructura renum a ſolita non aberrabat; ipſi autem odorem acidum ſpargebant. Varia tentamina cum remediis antiſpaſmodicis, irritantibus,

tantibus, ſudoriferis, inuoluentibus, adſtringentibusque inſtituta, a Noſtro hic narrata ſunt.

§. XVII. De nonnullis remediis in hydrope. Ac primum quidem eſt cremor tartari, quocum MENGHINVS experimenta commentariis Bononienſibus *) inſerta, in hydropicis inſtituit, atque magnam vtilitatem huius medicamenti expertus eſt, quam Cl. HOME ſuis tentaminibus confirmauit. Inter viginti hydropicos tredecim hoc cremore ab hydrope liberabantur, ſeptem autem eo fruſtra vſi ſunt. Plurimum hoc remedium praeſtare in anaſarca, ſeu hydrope contextus celluloſi, tum in aſcite; minus autem efficax in pectoris hydrope fuiſſe, tentamina Noſtri confirmant. Potius iuuenibus conducere, quam ſenibus, ac inueteratum hydropem iuuare, cum MENGHINI obſeruationes recentes hydropes attineant, ex Cl. HOME tentaminibus patet.

Quamquam ſaepe laxans vis cremoris hic obſeruata eſt, tamen et ſine eo effectu ſanati ſunt aegri pariter, ac ii, qui non copioſam emittebant vrinam, quam Noſter, exceptis duobus exemplis, limpidiorem et clariorem ſana vidit. Videtur effectus cremoris euacuatorius et diureticus: eſt autem quoque reſoluens ac obſtructiones reſerans, cui potiſſimum Noſter proſperum hunc euentum in hydropis medela adſcribit. Ad tartari cremorem penitus ſoluendum neceſſe eſt, vt ad vnam partem cremoris viginti partes aquae ſumantur. Aquam frigidam omnino hydropicos iuuare vidit. Iam ad ſcillam in hydrope Noſter venit, et eius vomendi effectum inprimis hic obſeruauit. In anaſarca ſonticulorum vtilitatem eſt expertus.

Ten-

*) v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 398.

Tentamina de remediis menſtruorum ſuppreſ- S. XVIII.
ſionem iuuantibus. Multae eiusmodi aegrae fre- et XIX.
quentant noſocomium, qua occaſione ob difficultatem huic morbo medendi, qui non raro cum aliis morbis eſt complicatus, varia Noſter tentauit remedia, quorum vtiles et inutiles hic communicat effectus. Remedia ſunt haec: Martialia parum auxilii praeſtabant. Compreſſio arteriae femoralis ſemel menſtruorum fluxum effecit. Venaeſectio ſaepius auxilium tulit. Sabina plethoricis obeſt et ea in vniuerſum admodum caute vtendum eſt. Rubiae tinctorum ſpecifica quaedam vis in hoc morbo tribuitur. De remediis nonnullis in lepra Graecorum ſ. herpete, viperis, ſarſaparilla cet.

De virtute anthelmintica Spigeliae Marilandi- Sect. XX.
cae et de vi obſtructiones reſerandi (*deobſtruent* XXI. et
*effects*) daphnes mezerei; de viribus verbaſci in XXII.
ventris fluxu.

De cucurbitulis ſine ferro ſeu ſiccis contra hae- S. XXIII.
morrhagias. HIPPOCRATES illarum vſum in vteri haemorrhagiis olim ſuaſit; vid. Sect. V. Aphor. 50. Noſter et in aliis haemorrhagiis iis vſus eſt, nec non in vomitu a digeſtione laeſa orto, eas ventriculi regioni non fruſtra externe appoſuit.

Tentamina cum nonnullis remediis lithontri- S. XXIV.
pticis: haec ſunt vua vrſi, aër mephiticus ſ. fixus cet.; huic poſteriori ad calculum ſoluendum parum virtutis tribuitur.

## VII.

A medical commentary on fixed air. By MATTHEW DOBSON, M.D. *) Cheſter 1779. 8. pagg. 198.

i. e.

Tractatus ſuper medico vſu aëris fixi. Auctore MATTHAEO DOBSON.

Aërem fixum, aliter atque aliter cum corporibus animalibus communicatum, poſſe efficere ſanitatem ſeu morbum, atque conciliare vitam aut mortem, Noſter in praemiſſa introductione docet. Ratio huius libri, ſumma eius hic tradita, apparebit.

Sect. I. Primum Noſter, antequam ad medicum fixi aëris vſum progreditur, de diuerſis modis, quibus hoc gas obtineri et vſurpari poſſit, diſputat. Quorum cum varii a nobis iam alibi memorati ſint, amandamus ad praecedentia commentariorum noſtrorum volumina **) Lectores ***). Tranſit Noſter ab HELMONTIO ad recentiores Auctores de mephitico aëre.

*) MATTHAEVS DOBSON, *der Arzneykunſt Doktors und Mitglieds der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften, Abhandlung über die mediciniſchen Kräfte der fixen Luft. Aus dem Engliſchen überſezt und mit einigen Anmerkungen und Zuſätzen verſehen. Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich* 1781. Additamenta et annotationes in notis ad hanc Germanicam verſionem pertinentia lectu ſunt digna.

**) v. comm. noſtr. indices Imae et IIdae decadis et reliquorum voluminum indices.

***) Pertinet huc quoque MACQUER *chemiſches Wörterbuch* etc. quod e Franco Gallica lingua in Germanicam a Cl. LEONHARDO eſt translatum et multis, iisque valde vtilibus annotationibus partim ſuis, partim aliorum auctum, quod non diu poſt indicabimus.

aëre. Ad varias autem relationes definiendas, ſub quibus aër fixus cretae et fixis volatilibusue alcalibus, vt iis ſubſtantiis, quibus plerumque vtuntur ad hunc aërem eliciendum, ineſt, Noſter quoque tentamina quaedam inſtituit, ex quibus patet ineſſe aëris fixi grana XLVIII in alcali volatili, XLII in creta, XXVIII grana in ſale tartari ſ. fixo alcali. Horum ſingulorum drachmas duas ſumſit.

Progreditur Noſter ad vires, quas aër fixus in corpore humano exſerit. Ac primum quidem ille pulſum auget, gratum item efficit frigidum effectum in ventriculo, vertiginem conciliat atque nauſeam, nec non habet vim diureticam. Sect. II.

De aëris fixi effectibus in putridis morbis, vt in febre putrida, variolis atque morbillis malignis, ſphacelo, angina maligna vlceroſa (*Ulcerous ſore throat*), phthiſi, ſcorbuto marino, hic diſſerit Noſter et obſeruationes addit. Sect. III.

De putredine et putridis exhalationibus corrigendis. Quoad aërem nempe, vegetationem *), putredinis progreſſus (*putrefactiue proceſs*) et inde putridarum rerum in elementa ſua reditum, ignem et fumum. Adſcribitur quoque aëri fixo poteſtas putridi corrigendi, eaque a Noſtro in ſectione ſequente diſquiritur. Sect. IV.

De effectu fixi aëris in putredinem et putridas exhalationes. Ex tentaminibus inſtitutis non videtur, Auctori Noſtro ſequi, aëri fixo ineſſe vim putredini praeueniendi ſ. ei officiendi. ALEXANDRI **) opinioni de peſte non aſſentitur, et noxas huiusmodi exhalationum defendit. Sect. V.



*) v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 74.
**) ibid. Vol. XX. p. 717.

Sect. VI. De vtilitate fixi aëris in cachexiis et vlceribus phagadaenicis. In carcinomaticis veris et inueteratis vlceribus nihil, vti Noſter obſeruauit, aër fixus praeſtitit. Phagadaenicis e contrario aliquam opem tulit hic aër non ſolum dolorem ſedando, ſuppurationem meliorem reddendo, et faciem vlcerum emendando, ſed etiam in nonnullis exemplis perfectam ſanitatem efficiendo. Pariter quoque in cachexiis. In ſcrophulis leuamen quidem, attamen nullam ſanationem produxit. Addit et hic, vti ſolet, obſeruationes Cl. Auctor.

Sect. VII. De vtilitate fixi aëris in nonnullis ventriculi morbis. Debilitas et nimia irritabilitas ventriculi, appetitus proſtratio, perpetua nauſea et vomitus hic potiſſimum ſpectantur. Obſeruauit quoque hoc remedium in iis ventriculi morbis, qui ab arthritica cauſa ſunt repetendi.

Sect. VIII. De vſu fixi aëris in renum et veſicae calculis. In ſuppuratione renum aliquid praeſtitit, in calculis nihil. Cl. HOME *) quoque nullam vtilitatem obſeruauit. Inter alios de hoc aëre ſcriptores pertinet et hic Cl. HVLME **).

Sect. IX. De maiori diſpoſitione ad calculos, quae cadit in eas Angliae regiones, in quibus bibitur vinum pomorum, iis nempe comparatis cum aliis regionibus. Durae aquae impediunt calculi geneſin. Hereditarium num ſit malum calculi?

Sed vt veritas huius rei magis appareat, obſeruationes Noſtri de hoc malo crudeliſſimo collectas adiungamus. Scilicet in noſocomio Noui Caſtri, quod 26, 679 aegrotos tum continebat

*) v. ſupra p. 51.
**) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 681.

bat, lithotomia in hominibus nonaginta tribus facta eſt.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Eboraci | inter | 23, 735 | — — | 50 |
| Leedii | — | 7, 851 | — — | 23 |
| Mancheſtriae | — | 34, 565 | — — | 50 |
| Liuerpoolii | — | 26, 073 | — — | 6 |
| Cheſtriae | — | 12, 334 | — — | 2 |
| Salopiae | — | 13, 167 | — — | 8 |
| Liceſtriae | — | 1, 912 | — — | 3 |
| Gloceſtriae | — | 12, 490 | — — | 21 |
| Vigorniae | — | 7, 752 | — — | 25 |
| Heerfordiae | — | 798 | — — | 0 |
| Exoniae | — | 26, 606 | — — | 75 |
| Cantabrigiae | — | 6, 600 | — — | 4 |
| Nordouici | — | 3, 0, 16 | — — | 55 |

De noxiis effectibus aëris fixi. Legi quoque merentur, vti iam ſupra monuimus, additamenta translatoris verſionis Germanicae ſupra indicatae ad hanc ſectionem pertinentia, nec non alia ab EO annexa, alias ſpecies aëris ſpectantia, fixum aërem vt medicamentum attinentia, exemplis illuſtrata, vt et monita variorum medicorum contra vſum medicum fixi aëris. Non cum MORGAGNO, HALESIO, HOFMANNO, rel. qui vaporibus lithanthracum cet. ſuffocationem hos homines interficere crediderunt, conſentit, ſed aſſerit Noſter, eiusmodi hominum principium vitale per hos vapores cerebro et neruis officientes ſubito deleri. Inſecta et alia animalia pulmonibus deſtituta aëre fixo citiſſime pereunt. Effectus igitur fixi aëris conueniunt cum iis, qui a fulgure et ſuccuſſu electrico eduntur. Mortem PLINII ſenioris eadem ratione explicat, et ſuffocatiuam minime eam fuiſſe aſſerit. Sect. X.

VIII.

*Die Elektricität aus medicinischen Gesichtspunkten betrachtet, eine von der Akademie zu Lyon gekrönte Preisschrift des Abt* BERTHOLON DE ST. LAZARE, *aus dem Französischen übersezt, mit Anmerkungen und Zusätzen vermehrt durch* F. A. WEBER *d. A. W. D. Bern bey Immanuel Haller* 1781. 8. *Seitt.* 410.

h. e.

BERTHOLONI DE ST. LAZARE commentatio de vsu electricitatis medico, in Germanicum sermonem versa a F. A. WEBERO.

Ideo potissimum indicamus hanc versionem Germanicam Cl. WEBERI, quod non solum obseruationes suas hic tradit, sed et commentationes, quarum vltimo loco mentionem faciemus, huic versioni addidit.

P. I. Quae de electricitate medica diligenter commentatus est Cl. Auctor, ea tribus absoluuntur partibus, quarum in priore inquiritur in electricitatis naturam. p. 3. Itaque primo electricitatem atmosphaerae examinat, atque docet THALETEM Milesium, DALEBARDVM, DELORIVM, LEMONNIERVM, ROMASIVM, FRANKLINVM, GALLIZINVM, aliosque de ea meruisse optime. p. 11. Dein efficaciam electricitatis aëreae in corpus humanum experimentis declarat. p. 16. Postea differit, qua ratione electricitas aërea in corpus agat humanum, negatiua item ac positiua. p. 26. Tum effectus electricitatis aëreae in corpus humanum subiicit examini, qui partim augendo, partim imminuendo vim electricam exserunt, vnde effectus vel primarii, vel secundarii prodeunt, id quod experimentis in paralysi institutis illustratur vberius: sanguinis dein colorem, hominum propagationem

et

et actiones adeo morales ab effectibus his repetit.
Proprietatum item et effectuum aëris in corpus p. 46.
humanum, cum potestate electricitatis aëreae coniunctim considerata, naturam explicat, atque potissimum transspirationem, diuersaque corporum effluuia in consensum trahit.

His expositis, electricitatem proponit sano cor- p. 55.
pori proficuam, quae frictione producitur quam maxime, seque manifestat diuersimode; de quorun- p. 74.
dam animalium electricitate praecipit, v. c. felium, lampyridis, torpedinis et quorundam ouorum, et demum de sanitate, eiusque conseruandae praesidiis p. 81.
ope electricitatis commentatur, quare positiuam aeque ac negatiuam, pro diuersa corporum constitutione, commendat.

Iam propius ad propositam quaestionem acce- P. II.
dit, et electricitatis medicae virtutem in variis mor- p. 96.
bis expendit. Ac primo capite morbos cutaneos tradit, quorsum pertinent maculae, herpes, impetigo, psydracia, phymata, erythema, perniones, oedemata, scirrhi, lupi, furunculi, carcinomata, paronychia, excrescentiae, verrucae, crithe s. hordeolum, cystides, abscessus, melicerides, procidentiae.

Capite secundo recenset febres, sigillatim con- p. 149.
tinuas, remittentes atque intermittentes, ac tertio transit ad inflammationes; hinc primum exanthematicas, deinde partium membranosarum v. c. phrenitidem, paraphrenitidem, pleuritidem, gastritidem, enteritidem, hysteritidem, cystitidem, et tandem, inflammationes parenchymatosas v. c. cephalitidem, anginam, peripneumoniam, hepatiten, spleniten et nephritidem vberius describit.

Conuulsiones et spasmos in capite quarto ita de- p. 164.
scribit, vt spasmos particulares, quales sunt strabismus, obstipum caput, contracturae; spasmos vni-

verſales, praeprimis tetanum et catochum; ſpaſmos alios particulares, vt nyſtagmum, triſmum, conuulſiones et tremores et tandem ſpaſmos vniuerſales chronicos, qui ſunt rigor, eclampſia, epilepſia, hyſteria, ſcelotyrbe, beriberi Indorum, conſiderat.

p. 203. In capite quinto commemorat peripneumonias, hinc de ephialte, cynanche, dyſpnoea, orthopnoea, pleurodyne, aſthmate, tuſſi, catarrho, hydrothorace, empyemate, ſternutatione, ſingultu, aliisque morbis pectoris, in quibus electricitatem vſum praeſtitiſſe, ſermocinatur.

p. 212. In ſexto capite de morbis a debilitate et paralyſi diſputat, et diuerſas conſtituit claſſes, quarum prima morbos ſyncopales, ſyncopen in vniuerſum, aſphyxiam, apoplexiam, lipothymiam et deliquia complectitur; altera affectus ſoporoſos, ſigillatim lethargum, coma, catalepſiam, dyſaeſtheſiam, exſtaſin, apoplexiam ſoporoſam; tertia paralyſes externas, quae abſoluuntur anaeſtheſia, hemiplegia, paraplegia, paralyſi proprie ſic dicta; quarta impotentiam in organis ſenſoriis, quae exſerit ſeſe amauroſi, cataracta, glaucomate, amblyopia, ſurditate, anoſmia, anorexia, adipſia, anaphrodiſia, mutitate, atecnia ſ. agonia.

p. 249. In ſeptimo capite dolores conſiderat, quos diuidit in vagos, quales ſunt arthritis, rheumatiſmi, conuulſio ſpaſmodica, pruritus, anxietas; in topicos, ad quos referuntur cephalalgia, hemicrania, cephalaea, ophthalmia, odontalgia, otalgia, cardialgia, colica, ſplenalgia, rachialgia, colica ſaturnina, nephralgia, hyſteralgia, et malum iſchiadicum.

p. 267. In octauo capite hos morbos enarrat: nimirum dementiam, maniam, paraphroſynen, ſympathiam et antipathiam, ſtupiditatem, ſomnambuliſmum, agrypniam, obliuionem, horrores nocturnos, bulimiam, noſtalgiam, nymphomaniam, priapiſmum et tinnitum aurium.

In

In capite nono fluxus conſiderantur, qui comprehendunt haemorrhagias, vbi in ſpecie de haemorrhoidibus, menorrhoea, haemoptyſi, diarrhoea agitur; fluxus ventris, dyſenteria etc. Fluxus ſeroſi; quorſum ſpectant lacrymae, ſaliuatio, ſudores, excretiones, mictus cruentus etc. p. 277.

Capite decimo proponuntur cachexiae, et variae earum ſpecies: morbi hectici, tabes videlicet, phthiſis, atrophia et maraſmus, intumeſcentiae corporis, quales ſunt corpulentia nimia, inflationes cutis, leucophlegmatia, hydropes cum ſuis ſpeciebus, hydrocephalo, aſcite, cet. Corruptiones per miaſmata, vt rachitis, ſcrophulae, elephantiaſis; lues, v. c. lues venerea, ſcorbutus, ſcabies, lepra, phthiriaſis, tinea, alopecia. Tum aliae cachexiae traduntur v. c. chloroſis, icterus niger, gangraena. Atque ita, breui morborum deſcriptione praemiſſa, docet, quidquid in vno quoque caſu electricitas praeſtiterit, et alios commemorat Auctores, qui inſtitutis experimentis eosdem effectus viderunt. p. 283.

In tertia denique parte de methodo electricitatis applicandae agit: 1) per balnea, 2) per venti impreſſiones et afflatus, 3) per conum radiatum, 4) per ſcintillas, 5) per contactum. Has methodos ſigillatim indicauit et docuit, qua ratione contactus capiat incrementa et quomodo cum aegro electricitas ſit caute communicanda. Poſtea ad machinas progreditur, inter quas inuentae a NAIRNIO electricae machinae palmam tribuit, cui MEUNIEUR atque LE ROI alias adaptarunt, paucis tantummodo mutatis, vt conſuleretur eo melius commodis aegrorum. Deinde de tempore, quo electricitas ſit vtiliter peragenda, verba facit, atque addidit, vſum internorum remediorum eſſe nequaquam negligendum, atque in vniverſum verſandum caute. P. III. p. 289.

Tandem

p. 316. Tandem ſumma huius partis eo redit, vt, quae ſuperius non curatius tractari ob rerum copiam ac ordinem poterant, iam vberiori ſermone illuſtrata
p. 317. conſpiciantur. Igitur de applicanda electricitate
p. 333. in odontalgia, de vſu huius remedii in coecitate, de
p. 351. effectibus ſingulis electricitatis in quibusdam morbis egit, propoſuitque, quam poteſtatem exſerat ele-
p. 355. ctricitas ratione variae tempeſtatis in maniacis; vim viciſſitudinum atmoſphaerae in menſtruum fluxum, et efficaciam electricae vis in ſubitanea morte oppreſſis, cet. Quibus omnibus adiecit calendarium, quo dies lunae, puncta lunatica, tempeſtatum viciſſitudines, catalogus demortuorum, et ſubita morte corruptorum conſignata reperiuntur, itemque eorum, qui habent inſultus maniacos et interualla lucida.

p. 395. Cl. WEBERVS praeterea non ſolum ſuas obſervationes textui ſubiectas huic libro addidit, ſed etiam in appendice tres nobiſcum communicauit commentationes, quarum prior continet *hiſtoriam morbi cuiusdam* WINDERI, *ope electricitatis a paralyſi reſtituti, quam* JOHN WILKINSON ad Societatem Regiam Gottingenſem per WICHMANNVM miſit, Anglico ſermone conſcriptam et eidem huic verſioni Weberianae inſertam; ſecunda ab ipſo Cl. WEBERO de-
p. 1. ſcripta concernit quaeſtionem, *qua ratione circa fulmina ſit verſandum?* ſimulque Cl. Auctor conſiderat *conductorem*, tertia denique *de auertendi fulminis artificio* praecipit; has quidem commentationes olim publici iuris fecit, iam vero iterum hic emendatas annexuit. Vltimo loco index rerum eſt additus.

IX.

## IX.

Kongl. Svenska Vetenſkaps Academiens Handlingar. Fôr År 1776. Vol. XXXV. plagg. 22, tab. aen. 8. *).

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae anni 1776. Vol. XXXV.

Trimeſtre primum.

1. NIC. MARELIVS *de menſurandis doliis.* p. 3.

2. ZACHARIAE PLANTIN *theorema geometricum de menſuranda pyramide truncata.* Vtraque diſſertatio occupatur illa pithometriae methodo, quae dolium ex duobus conis truncatis compoſitum ſumit. p. 23.

3. CAR. WILH. SCHEELE de *Silice, Argilla et Alumine.* Cl°. BAVME' terra aluminis ſilicea eſt; argilla, ſilex pauculo acido vitrioli miſtus; alumen, eadem terra, acido vitrioli plusquam ſaturata. Quas ſententias examinaturus Noſter cryſtallum montanam in puluerem redactam cum alcali tartari miſcuit, maſſam igne fudit, deinde in acido vitrioli ſoluit, per filtrum tranſmiſit, ex liquore filtrato alumen obtinuit. Ex ſilice, qui in filtro manſerat, eodem modo tractato rurſus alumen nactus eſt, experimento ſeptem vicibus repetito. Iam pronus in Cl. BAVME' ſententiam, catinos conſiderauit, quibus vſus erat, atque foueolis ſuperficiem illorum internam plenam reperit, hinc ſuſpicatur, alcali aliquid argillae catinorum ſoluiſſe. Liquorem ſilicum praeparauit in vaſe ferreo, quem cum eodem modo tractaſſet, nihil aluminis prodiit, vnde intelligitur, quid Cl. BAVME' fefellerit. p. 30.

*) v. Comm. noſtr. Vol. XXIV. P. I. p. 91. P. III. p. 450.

fellerit. Quae cum alumine, calce, gypſo, inſtituit tentamina, docuere Noſtrum: terram calcaream vniri poſſe terrae aluminoſae; gypſum terrae aluminoſae ſolum non vniri: ſi vero calx ſuperfluae quantitati acidi vitrioli vnita ſit, coniungi ab illa gypſum cum terra aluminis, ita terram oriri ex tribus mixtam.

p. 35. 4. GUST. AB ENGESTRÖM declarat *metallum Sinenſe* (Pak-Fong). Nomen Sinenſibus cuprum album indicat. Componitur ex cupro, niccolo et pauculo cobalti, ſine dubio quod minera, ex qua liquatur, hoc contineat. Adhibetur vaſis vtenſilibus, cochlearibus, candelabris etc. eſtque elegantia ſatis conſpicuum.

p. 38. 5. DANIEL BRVSENIVS deſcribit *parochias*, quibus praeeſt *Lötel Alböke* in Oelandia.

p. 49. 6. HJELM recenſet *numeros viuentium et mortuorum* in dioeceſi *Vpſalana*, inde ab anno CIↃIↃCCXLIX ad CIↃIↃCCLXXIII.

p. 60. 7. PETR. VARGENTIN *ſimilia* praeſtat pro annis CIↃIↃCCXXI ad CIↃIↃCCXXXV.

p. 65. 8. CAR. PETR. THVNBERG deſcribit nouum plantae genus, quod Ipſi *Rothmannia Capenſis* *) dicitur. Locus eius eſt in LINN. claſſe V, ordine I, poſt *Belloniam*; differt a *Portlandia* calyce monophyllo quinquedentato, capſula vniloculari, ſtigmate bifido; a *Macronemo* capſula vniloculari; a *Bellonia* flore campaniformi; ſtigmate bilobo ab omnibus tribus, antheris filamentis carentibus, medio margini corollae adhaerentibus. Deſcriptio lingua

*) *Gardenia Rothmannia*. LINN. Suppl. p. 165. de quo commentabimur poſtea.

gua Suecica traditur: at melius eſſet, retinere ſermonem botanicis vſitatum, cum difficilius intelligantur voces Suecicae, ad terminos technicos inflexae. Creſcit arbor in Capite Bonae Spei, incolis *Yzerhout* vocatur *lignum ferreum* ob duritiem, vnde et axibus curruum adhibetur.

9. Experimenta de vſu *extracti aconiti* edit p. 68.
10. LAVR. ODHELIVS M. D. Aſſeſſor Coll. Med. Profuit hoc contra rheumatiſmos chronicos, rigorem articulorum, tumorem leucophlegmaticum oedematoſum, qui ſupererat poſt febrem intermittentem difficulter ſanatam. Aconitum caute et in parca doſi exhibitum *) valdopere promouit transſpirationem. Vidit etiam vrinam ciere, ſed cum adſint diuretica meliora, hunc eius vſum non eſt proſequutus.

IO. BENED. QVIST ANDERSSON expendit *ſtrata*, p. 69.
*in quibus Carbones foſſiles* reperiuntur in Anglia prope Nouum caſtrum (*Newcaſtle*) ad fluuium *Tyne*.

11. CLAVD. BJERKANDER recenſet plantas in p. 77.
monte Sueciae *Kinnikulle* naſcentes. Altius ſupra maris ſuperficiem plantas creſcere, quae alias in locis humilioribus, ſed magis borealibus reperiuntur, ſatis notum eſt. Id inprimis ditiſſima hac Flora Kinnekullenſi illuſtratur. Plura vero ſtrata ſunt, in quae mons pro altitudinum ratione partitur. Infimum 82 pedibus eleuatur ſupra lacum Wenner, ſecundum 254 ped. tertium, 308, ſummum montis 794; ipſe vero lacus ſupra oceanum occidentalem eleuatur pedibus 147.

Quae in quouis ſtrato naſcantur, copioſe enumerat. Iunio anni 1774; pinus abies in monte morbo

*) comm. noſtr. Vol. XVII. p. 673 et ſeqq.

p. 88. morbo ſingulari laborabat. Folia anni 1773, intumeſcebant, flauum colorem oſtendebant, ſecundum longitudinem findebantur, remanente farina flaua, omnino ſimili pollini antherarum. Foliis fraxini, pyri, fagi, pruni, crataegi, quae auctumno deciderunt a vento, congeſtis in cumulos, hyeme Lycoperdi ſpecies innaſcuntur, vt alias braſſicae.

p. 88. 12. *De militibus duobus inter febrem ſubito mortuis* refert PETR. FRID. LENNGREN. Alter annorum XXXV, corporis ſatis robuſti, ſobrius et diaetae conuenienti adſuetus, poſt alios morbos ſanatos incidit in febrem tertianam, quae conſuetum typum ſeruabat. Inter paroxyſmum X et XI, cum arma ſua ſedens poliret, puncturam tam vehementem in latere ſiniſtro ſenſit, vt eandem ſignum mortis mox ſecuturae eſſe ſibi praediceret: quae quoque ipſi intra horae ſpatium accidit.

p. 90. Aperto cadauere ex abdomine ſanguinolentum fetens erupit, circiter canthari menſura, contenta abdominis obducta erant velut coagulato ſanguine, quod inde a latere ſiniſtro exiiſſe videbatur, vbi lien tectus erat a ſanguine eodem. Praeterea lien, in parte inferiore, fiſſuram habebat longitudine trium digitorum tranſuerſorum, interior lienis ſubſtantia, mutata in materiam fuſcam, craſſam, pulti ſimilem. Cor et vaſa illi proxima, fere ſanguine vacua.

Alter, eiusdem cohortis, annis XX natus itidem febre tertiana laborans, poſt paroxyſmum XI obdormiuit, excitatus vero a ſenſu doloris vehementis in latere ſiniſtro, poſt dimidiam horam extinctus eſt.

In cadauere omnia, vt in altero, reperta, niſi quod fiſſura lienis partem interiorem, anteriorem diru-

diruperit. De iis, quae durante morbo acta ſunt, pauca memoranda ducit. Vena aegris initio morbi ſecta eſt, cum ſaltem de dolore capitis quererentur. Cauſſam mortis ſanguini in liene accumulato tribuit. p. 93.

Trimeſtre ſecundum.

I. PETR. ANDR. GADD de *paludibus*, inprimis qui muſcis et plantis aquaticis repleti ſunt, quomodo oriantur, et vſui oeconomico aptari poſſint. p. 97.

II. PETR. WASSTRÖM quaedam *diſſertationi praecedenti* addit. p. 116.

III. *De freto inter terras Banca et Sumatra* Indiae Orientalis agit CAR. GVSTAV. EKEBERG, tabulam hydrographicam freti edens et illuſtrans. p. 122.

IV. ANDR. IOH. RETZIVS experimenta de *acido vegetabili naturali* edit. In commentariis anni CIↃIↃCCLXX legitur eiuſdem tentamen de tartaro vini, eiusque tartari acido, quod ſcriptum hic continuat, etiam paragraphorum numeris inde ab LI continuatis. Nihil vero amplius de ipſo tartaro habet, ſed aliorum acidorum vegetabilium cum acido tartari ſimilitudinem eſt examinaturus. Vocat vero *naturale* acidum vegetabile, quod fermentationem artificialem non ſubiit, hoc autem *fermentatum* appellat. Vbi diſtinguit acidum, quod adfuit fermentationi, ab eo, quod ipſam paſſum eſt. Tartarus adeſt vino fermentanti, ſed alcali vnitum acido, actionem fermentationis in acidum illud impedit, ita manet nil mutatum. Reliqua pars acidi fermentatione naturam mutat, et artificiale, ſeu fermentatum euadit. Quod quomodo contingat, maxime obſcurum pro- p. 130.

nunciat labore chemico illuſtrandum, ſibi vero iam non tempus eſſe ad labores chemicos prolixiores.

p. 133. Primum igitur Tamarindos examinat. e quibus acidum obtinuit acido tartari per omnia ſimile, niſi quod multum materiae extractiuae admixtum habeat. Dederunt vero hi fructus ipſi ſal eſſentiale tartareum et acidum liberum, quod non ſatis alcalini habeant, vt acidum omne in ſal eſſentiale tartareum mutari poſſit. Succo citri recenter ex-
p. 137. preſſo, caleſacto, oſtrea fracta indidit, alio tempore lapides cancrorum in fruſta comminutos, (nec teſtae, nec lapides in puluerem, quo certius ex fruſtis reſiduis intelligeretur, quid non ſolutum manſerit). Cum ſaturatus eſſet ſuccus, ſolutio eo vſque pellucida, turbida euaſit, ſolutum ad fundum deſcendit, ſelenitidem tartareum, ſaporis expertem, exhibens, in fluido, quod ſuperſtabat, non amplius ſolubilem, etiamſi calor adhiberetur, et aqua, quae dilueret. Vnde intelligitur, quid valeant in medicina lapides cancr. citrati, et conchae citratae. Rectius abſorbentibus his acetum additur, cum quo efficiunt ſal medium amarum, imperfectum, in aqua tamen ſolubile. Succum citri recenter expreſſum, co-
p. 138. ctum lithargyrio ſaturauit, ex ſolutione, cum refrigeſceret, puluis craſſior deſcendit prioribus ſimilis. Haec cum ſucco fructuum, quales boream verſus mittuntur, ante maturitatem forte decerpti. Igitur quid praeſtet maturorum fructuum ſuccus in ambiguo relinquit. Expreſſum, qui aduehitur, ſuccum, ſucco uvarum immaturarum adulteratum eſſe, ſuſpicione ſaltem ipſi non caret. Sali SEIGNETTE, aut
p. 139. tartaro tartariſato, in aqua ſolutis, ſolutionibus affuſis acido tamarindi, aut ſucco expreſſo citri, aut aceto deſtillato, ſemper cremorem tartari obtinuit

tinuit. Salia media, quae tartarus ingreditur, nunquam cum acidis praeſcribenda eſſe hinc colligit. p. 140.

V. IOH. L. ODHELIVS de *Aſcaride lumbricoide.* Puella tres vermes eius generis per aluum excreuit, aquae frigidae ſtatim iniectos, quorum binis poſt aliquod tempus faſciculus *) ex corpore prodiit, corpori adhaerens, tertio nihil. Hoc adduci poſſe, credit Noſter, pro ſententia illorum, qui viuipara animalia exiſtimant. Vermes depicti ſiſtuntur. Remedium Noufferianum contra illos nil profuit. p. 140.

VI. *Morum rubram* Americae ſeptentrionalis deſcribit PETR. KALM. Cum interdum maſculi flores in alia arbore, feminei in alia reperiantur, haec diuerſitas deſcribitur. Baccae inter optima fructuum eſculentorum genera referuntur, quae comeſtae non noceant. Lignum vſibus fabrilibus adhibetur, tum propter coloris pulchritudinem, tum quod in aqua tardiſſime putreſcat. Bombycibus nutriendis, cum in illis regionibus eſſet Noſter circa annum CIↃIↃCCLXXX, rarius adhibebantur folia, etſi perquam idonea, cum agricultura incolae parum numeroſi vtilius occuparentur. p. 143. p. 150.

VII. *Lithranthraces* in *Anglia* quomodo *effodiantur* et e fodinis educantur, docet BEN. QUIST ANDERSSON. p. 163.

VIII. *Lignum quercinum, aedibus ſtruendis deſtinatum*, quale a putredine, fiſſuris, vermibus, quam diutiſſime liberum maneat, docet IOH. ACREL. Hyeme caeſum, decorticatum, in figuram lignorum priſmaticam formatum. Frigus fere aeque velociter exſiccat ac calor, neque fiſſuras producit. p. 173.



*) v. paulo infra p. 75.

Trimeſtre tertium.

p. 177. I. TORBERN BERGMAN obſeruationes ad *Alumen* pertinentes continuat, quas anno CIↃIↃCCLXVII commentariorum inchoauerat. Inprimis oſtendit, de quo dubitauerant aliqui, acidum ſuperfluum impedire cryſtalliſationem aluminis. Id peragit recenſendo experimenta inſtituta cum ſolutionibus aluminis, quibus oleum vitrioli non forte inſtillaverat. Eae quae plus acidi continebant, minus cryſtallorum praebuerunt. Argilla addita ſoluitur ab acido vitrioli, itaque non tantum impedimen-
p. 185. tum tollit, quod acidum cryſtalliſationi aluminis obiicit, ſed ipſa aluminis quantitatem auget, ferri vero multum ſeparat, ſi alumen vitriolo ferri inquinatum ſit.

p. 189. Denique oſtendit: ſal colcotharis nil aliud eſſe, praeter vitriolum phlogiſtico priuatum.

p. 190. II. PETR. IOH. BLADH in itinere maritimo ex Suecia in Chinam inſtituto *aquae marinae grauitatem ſpecificam* plurimis in locis examinauit, tum cum proficiſceretur, tum rediens. Magna copia eſt experimentorum ſollicite inſtitutorum, quae tabula prolixiore exhibet. Corollaria generalia inde deducuntur haec: Propter mutationem voluminis a calore natam non poſſunt inter ſe comparari gravitates ſpecificae aquarum diuerſimode calentium. Igitur, ſecundum legem experimentis nixam gravitates ſpecificas aquarum, quas inuenit, reducit ad numeros, quos habiturae eſſent, ſi aqua quaelibet caluiſſet gradu 20 thermometri Suecici. Pro vnitate huius grauitatis ſumit niuis eodem gradu calentis. Aqua maris Atlantici et Aethiopici grauiſſima eſt prope Tropicos, exprimitur eius grauitas numeris, 1,0280 et 1,0283; inde a Tropicis, verſus

ſus polos aeque ac verſus lineam aequinoctialem, decreſcit grauitas ſpecifica, leuiſſima aqua inter tropicos non multo grauior eſt illa, quae in oceano boreali reperitur. Illa inter tropicos eſt 1,0262 vel 1,0264; in mari glaciali latitud. grad. 74; ex IRVINI experimentis aquae grauitatem computat Noſter 1,0259 et 1,0260. Prope aequinoctialem ait leuiorem aquam reddi eam ob cauſſam, quod venti conſtanter vapores omnes ex mari intra zonam torridam aſcendentes, eo vehant, oſtenditque grauitati huic ſpecificae cum aliis ventorum conditionibus conuenire. Alia multa habet hanc hydrographiae partem illuſtrantia.

III. *Oculorum morbum, ſcabie inſita, ſanatum* narrat IOH. GVST. HALLMANN, M.D. Puellae duodecim annorum palpebrae erant rubentes, tumentes, prurientes, vlceratae, pure viſcido acri fluentes, inflammatione occupatae, pariter atque palpebrae inferiores, tunicaque coniunctiua, quae inflammatio cum doloribus oculorum, et materiei vlceroſae efluxu, creſcebat et decreſcebat. Viſu non laborabat, niſi quod muſcarum et nubecularum ſpecies interdum obuolitabant; reliquo corpore bene valebat, etiam cibum appetebat, noctu quieſcebat, niſi cum oculorum dolores impedirent. p. 210.

Morbi originem repetebat a variolis male curatis. Fruſtra tentatis quamplurimis remediis, in eo erat Noſter, vt ad fonticulum, aut ſetaceum confugeret, cum doceretur, puellam infantem ſcabie in pedibus laboraſſe, quae poſt variolas omnino ceſſauit. Suſpicatur igitur, relicta coniunctim ſcabiei et variolarum miaſmata oculos occupaſſe, ſcabiem rurſus excitandam credidit. Igitur balneis tepidis, et cutem, quae ſicca erat, emolliuit, et corpus recipiendo contagio praeparauit. Tandem balneo exiens,

pedibus bene fricatis, induit tibialia lanea, quae per aliquot dies puer ſcabioſus portauerat, pure et cruſtis ſcabioſis foede inquinata. Illa continuo portauit tres dies et noctes. Queſta deinde de doloribus artuum et capitis, accedente febri, qualis morbillos praecedit. Potus loco adhibitum infuſum ſambuci, conatus vomendi iuuati tartaro emetico et decocto hordei, poſtquam pedes inflammati rubuiſſent, ſcabies erupit, quae cum vix octo dies duraſſet, omnia haec ſymptomata a Noſtro ſupra communicata ſubinde ceſſarunt. Scabiei eruptioni promouendae adhibita ſunt balnea tepida infuſum ligni Guaiaci, oculorum balnea ex aqua frigida cet. Elapſis ſex ſeptimanis nihil amplius de oculis querebatur, niſi de palpebrarum debilitate, qua fiebat, vt facile collaberentur, quod cataplaſmatibus calidis emollientibus tribuit. Crines etiam ab oculis ſeceſſerant, vnde lumen diurnum aegre ferebat. Cum nihil ſcabiei amplius erumperet, contra quotidie imminueretur, ne radices profundius ageret hic morbus, ſepoſitis remediis humores depurantibus et ſcabiei eruptionem promouentibus purgantia praebuit. Siccata ſcabies euanuit, redierunt vires palpebris, totique corpori. Anno ſequenti aquas minerales potauit.

p. 214. IV. IOH. LAVR. ODHELIVS addit, iuuenem oculis laborantem plurimis remediis, etiam mercurialibus, fruſtra tentatis, ſanari non potuiſſe, niſi poſtquam ſcabies eruperit.

p. 215. V. *Parabolae normalem ex dato puncto* ducere docet IOH. HENR. LINDQVIST.

p. 216. VI. De *cataleptico* refert ARVID FAXE, M. D. Homo viginti et ſex annorum morbo hoc iam per nouem

nouem annorum ſpatium laborauerat. Poterat progredi, loqui, audire, videre, ſed quam primum conſiſtebat, ceſſabat motus omnis, ſenſus omnis, ſiue externus, ſiue internus, oculi, manus, pedes in illo ſitu manebant, in quo erant, cum primum conſiſteret, pulſus tardiſſimus. Percuſſus vt corpori ſuperpondium accederet, et dextro crure verſus corpus adducto, progredi incipiebat et ſenſus recuperabat. Duci poterat per viam ſatis longam, ſed ſibi relictus, rurſus ſtabat, ſemper cum vehementia quadam ſuſcitandus. Medicus humores viſcidos, iudicabat, efficere, vt rigerent fibrae muſculares, et torperent ſenſus. Igitur iuſſit quouis veſpere ſumere cochlear dimidium cremoris tartari, aluum laxauit, nec non potare fecit aquas minerales Runnaburgenſes, ad quas venerat. Septimana quarta conſiſtere, loqui poterat, manus et oculos mouere, minime vero progredi. Suaſit igitur aegro medicus, vt inflexus genu dextrum manu prehenderet, verſus corpus eleuaret, et linquens illud cum corpore ſequeretur; ita didicit corpus ad progrediendum incitare. Plura adhuc ſperat, aquis anno proximo adhibendis.

VII. ELIAS LAGVS *ſtructuras* deſcribit, quae ad *caſtores capiendos* in fluuiis, ante oſtia habitaculorum animalium ponuntur, more quidem in parochia Lapponica *Kuſamo* recepto. p. 218.

VIII. *De plantis, quibus veſcuntur, aut quas intactas relinquunt ſues* diſſerit PETRVS HOLMBERGER. Experimenta ipſe inſtituit. Primo animalia recenſet. Libenter veſcuntur, *muribus* agreſti et muſculo, *grillis*, verruciuoro, ſtridulo, biguttulo, *limace atro*. Sed variorum animalium mortuorum carnem appetunt, a qua vero eſca arcendos ſuadet, p. 221.

det, ne pullis gallinarum, imo porcellis deuorandis adhaeſcant. Quas partes plantarum, adultas aut magis teneras, vehementer appetant, famelicae comedant, omnino negligant, ſignis commodis diſtinguit, in nominandis plantis, quibuſcum tentamina ſuſcepit, ordinem ſyſtematis Linneani ſequutus.

p. 234. *Pan Suecicus* plantas 72 numerauerat, quae ſemper a ſuibus ſolent comedi, 12 quae interdum; Noſter his 73 addit, quae ſemper praeberi ſuibus poſſunt, 13 quae circumſtantiis vrgentibus.

p. 234. IX. *De apibus* DAN. MAGN. ALGREN obſeruationes edit. Reginae apum punƈturam ſenſit, aculeum in vulnere remanſiſſe non vidit, mortua tamen eſt paulo poſt regina. Apes volantes ferre reginam vidit, forte quod alae animalis, alis vulgarium non maiores, corpus maius non commode ſuſtineant.

p. 241. X. *De fodinis lithanthracum Anglicis* tradit QVIST ANDERSSON. De aëre inflammabili in fodinis reperiundo; item alio ſuffocante.

p. 250. XI. *Rademachia* nouum genus exaƈtius deſcribit CAR. PETR. THVNBERG, quam factum eſt a RVMPHIO. Arbor eſt RVMPHII *Soceus* Herb. Amboin. 7. 1. p. 110. 112. 114. tab. 32. 33. 34. item p. 104. 107. tab. 30. 31. Locus in ſyſtemate nat. eſt Monoecia Monandria, poſt Ceratocarpum. Character generis: ♂ Cal. o. Corolla 2 petala, ♀ Cal. o. Corolla o. ſtyl. 1. Pomum multiloculare, ſpecies plures, fruƈtus eſculenti. RADEMACHER, *Baillou* vrbis Batauiae, inſignis botanices cultor et promotor, plantam hanc, vt alias, examinandi occaſionem Noſtro praebuit, vnde nomen plantae memoriae eius ſeruandae datum eſt.

Tri-

Trimeſtre quartum.

I. PETR. ION. BERGIVS *vegetabilia Suecica* re- p. 257.
cenſet, quae, *cerealibus exceptis, vinum aduſtum* prae-
beant. Illorum claſſes duas conſtituit, quae *fari-*
*naceas* partes contineant et quae *ſaccharo* ſimilem
dulcedinem habeant. Quorum recenſum non eo
ſaltem, quem dixit, ſcopo vtilem aſſerit, ſed et eam
ob cauſſam quod, quae plantae his dotibus praeditae
ſint, eae hominibus etiam nutriendis in annonae ca-
ritate conducunt. Itaque plures plantas nominat,
e quibus fermentatione ſpirituoſa et deſtillatione
ſpiritus obtineatur, ex aliis eductum ſpiritum narrat,
ex aliis educi poſſe propter dictas plantarum natu-
ras aſſerit. Quae cum omnia nequeamus recen-
ſere, narrabimus ſaltem, quae de ſpiritu ex baccis
iuniperi obtinendo habet. Extrahendae ſunt bac p. 273.
cae in aqua tepida, ea cautione contuſae, ne ſemina
comminuantur, ita habetur materies fermentationi
ſpirituoſae apta, quae ſeiuncta eſt a partibus ſemi-
num oleoſis, et ſpiritus boni ſaporis obtinetur. Vul-
garis methodus oleum ſeminum admiſcet, vnde
ingratus ſapor et calidus ſpiritus.

II. *In curculionem granarium* inquirit IO. CAR. p. 274.
WILKE. Eſt curculio *Sanguineus* Faun. Su. ed. I.
n. 471. Varia inprimis ad oeconomiam animalis
pertinentia recenſentur. Frumento ab inſectis
his liberando haec praeſcribit Noſter: immittantur
grana aquae, ita animalia, laruae ipſorum et oua,
granis excauatis incluſa ſupernatabunt, intacta gra-
na, vt denſiora, merguntur. Poſſunt igitur, quae foe-
data ſunt, ab inſectis ſeparari, optime ſi deferantur
ab aqua ſupra margines vaſis, per canalem ſu-
perne applicatum effluente.

p. 293. III. CLAVD. BJERKANDER, Comminiſter loci Göthene prope Skara, *auium*, quas *migrantes* vulgo vocant (*Zugvögel*), primas, aut vltimas apparitiones pluribus annis obſeruatas edit, et quae inde poſſint ad aëris temperiem cognoſcendam colligi, recenſet.

p. 300. IV. *Sarcophyte ſanguinea* deſcribitur ab ANDREA SPARRMANN. Trecentis circiter horis itineris a Promontorio Bonae Spei in interiore Africae auſtralis parte creſcit *Mimoſa flore luteo*, inter hanc reperitur *Sacophyte* planta paraſitica, radicibus mimoſae, vt videtur, adhaerens. Flores maſculini, calice deſtituti, petalis tribus, aut quatuor conuexis, verſus exteriora excauatis, interius carnoſis, ſtamina 3, aut ſaepius 4, filamentis craſſis baſi petalorum adhaerentibus, breuioribus quam antherae albae. Femineos flores non vidit, cum Ianuario menſe, quo plantam reperit, tempus florendi praeteriiſſet. Caules ex pluribus corporibus pyramidiformibus compoſiti irregulares. Meſſa cum ſecatur, paulo durior cucurbita, coloris rubei, ſed non tingentis. Sapor non adſtringens. Siccata planta et rurſus in aqua macerata, aquam colore fuſco rubeſcente tingit, linteum vero flaueo.

p. 302. V. PETR. OSBEK *de inſectis radices cerealium arrodentibus*. Parum adhuc naſci profeſſus eſt LINNEVS Com. Ac. Su. CIↃIↃCCL. p. 180. (p. 186. verſionis germanicae). Vnum illorum Noſter habet pro larua *ſcarabaei ſolſtitialis*. Alterum deſcribit et delineat, neſcius in quale poſt metamorphoſin ſuam euadat.

VI.

VI. BEN. QVIST ANDERSSON monſtrat modum, quo *lithanthraces* e fodinis auehantur et quo pretio vendantur. p. 309.

VII. BLOM *de Aſcaride Lumbricoide* edit obſeruationes. In verme a puero excreto vidit faſciculum non diſſimilem illi, de quo loquitur trimeſtris ſecundi diſſ. V. Alium obtinuit, abſque faſciculo, cuius interiora examinauit, et colligit, faſciculos obſeruatos non eſſe vermium fetus; nam in tribus exemplaribus, in quibus obſeruati ſunt, in quouis alio loco ex corpore vermes prodierunt. Quem ipſe examinauit, is non niſi membranam vacuam exhibuit. Igitur inteſtina eſſe ſuſpicatur forte anthelminticorum vi ex vermis corpore expreſſa. p. 313.

VIII. ODHELIVS *addit* quaeſtionis in modum a ſe propoſitam eſſe ſententiam de fetubus vermium. Suos ſtatim miſſos eſſe PALLAS, qui faſciculos pro vaſibus ſpermaticis haberi poſſe ſcripſerit. p. 318.

IX. HENR. NICANDER, Secundus Secretarius Soc. R. Sc. examinat *figuram auris* (Streichbret) aratri. p. 320.

X. PETR. IOH. BLADH examinauit *calorem aquae marinae* in Sinu Bothnico et vicinia. p. 324.

XI. CAR. WILH. SCHEELE *chymice examinauit calculos veſicae.* Eorum habuit plures, ex variis ſubiectis vtcunque figura ſuperficie laeui, aut ſcabra, cet. differunt, conſtituentes omnium partes easdem reperit. Itaque in puluerem comminutos cum variis menſtruis tractauit, et haec ex iis, quae expertus eſt, colligit. Nec gypſum ineſſe calculo, p. 327. p. 330.

nec

nec calcem, consistere illum ex acido oleoso, sicco volatili, cui gelatinosi quidpiam additum sit. Ita ob acidum praedominans in aquae purae magna copia leui coctione soluitur, grana octo calculi in puluerem subtilem triti, in aquae vnciis quinque. In vrina omni etiam infantum, solutam reperit calculi materiem, quod vrinae magna copia, euaporatione diminuta, ostendit, quatuor mensuris ad duas vncias redactis, tunc refrigeratum residuum dimittit puluerem subtilem omnino calculo similem. Idem etiam contigit vrina in vase clauso seruata, quae simile sedimentum deponit. Igitur eius sedimenti soluendi menstruum non diuersum est ab ipsa vri-
p. 332. na. Omnis vero vrina continet terram animalem, siue calcem acido phosphori vnitam. Quam, vna cum acido concreto, seu calculi materia addendam monet vrinae partibus constituentibus huc vsque cognitis. Aegrorum vrina plus acidi et terrae animalis continet, quam sanorum.

p. 333. XII. *Calculos vesicae et renum* examinasse se refert TORBERN BERGMAN ignarum, quod iidem SCHEELIVM occupabant. Suis experimentis plerumque confirmari, quae SCHEELIVS edidit. Quaedam ipsi aliter euenisse, forte quod non omnes calculi omnino similes sint. Omnem calculi materiem sibi non solutam esse neque in aqua destillata, neque in acido nitri. Residuum optime agnosci, si adhibeatur cucurbita exigua, vt, quod supereſt, in vnum locum colligatur.

p. 338. XIII. GVST. HEDIN ex parochia *Kraeklinge*, cui praeest, refert, qua aetate ibi tum viri, tum feminae, prima vice matrimonium ineant, quot liberos mater quaeuis pariat, numeris his inter se comparatis.

XIV.

XIV. C. B. SKYTTE *farinam et pultem ex ſolano tuberoſo* confecta diu ſeruari poſſe, experimentis trium annorum oſtendit. p. 342.

X.

*Herrn* PETER IOSEPH MACQUERS, *Doktors der Arzneygelahrheit von der Pariſer Fakultät, Mitglieds der königl. franzöſiſchen Akademie der Wiſſenſchaften und der königl. Geſellſchaft der Arzneygelahrheit, Profeſſors der Chemie, u ſ. w. Chemiſches Wörterbuch, oder Allgemeine Begriffe der Chemie, nach alphabetiſcher Ordnung. Aus dem Franzöſiſchen nach der zweyten Ausgabe überſezt, und mit Anmerkungen und Zuſätzen vermehrt von D.* IOHANN GOTTFRIED LEONHARDI. *Erſter Theil, von A bis Erh. Leipzig bey M. G. Weidmanns Erben und Reich*, 1781. 2 *Alphab.* 3 *Bogen*, 8.

i. e.

PETRI IOSEPHI MACQUERI Lexicon chemicum, ex Francogallico in Germanicum ſermonem translatum et annotationibus atque ſupplementis auctum a IOH. GOTFR. LEONHARDO. Pars I.

Quanquam inter alias eam nos quoque olim legem nobis ſcripſiſſe conſtat, qua in commentariorum noſtrorum vſus genuinas potiſſimum, quas vocant, nouorum librorum editiones perlegere, de iisque relationes dare, nec vnquam verſionibus in hunc ſcopum vti, nobis propoſuimus; haud raro tamen nos hactenus ſenſimus veluti coactos, vt ab hac conſuetudine recederemus, vel quod principe editione non eſſemus potiti, vel quod verſionem

nem ipſa genuina editione praeſtantiorem deprehendiſſemus.

Hinc etiam in recenſendo chemico MACQUERI lexico nobis etiam recedendum a conſueta lege putauimus, neque de Francogallica editione *), ſed potius de Germanica eius verſione, quae multis ſit ſupplementis illa auctior, referre apud animum conſtituimus.

Etenim addidit profecto LEONHARDVS, praeter POERNERI, primae Germanicae verſionis **) editoris, et KEIRII, Anglici interpretis huius libri, annotationes, non ſolum permulta, eaque textui ſub notarum forma ſubiecta ſupplementa, ſed integras etiam immiſcuit ſuper variis argumentis diſputationes, in quibus chemiae quaedam capita a MACQUERO neglecta, quae nuper demum accuratis virorum doctorum experimentis et obſeruationibus ſint illuſtrata, ſibi ita explicanda ſumſit, vt, quae in MACQUERI libro aegre deſiderarentur, adderet, quae tentaminibus recentiorum chemicorum eſſent contraria, emendaret, hacque ratione perutile hoc opus magis abſolutum redderet atque perfectum.

Iam

*) Dictionaire de Chymie, contenant la Théorie & la Pratique de cette ſcience, ſon application à la phyſique, à l'hiſtoire naturelle, à la medecine & aux arts dépendans de la Chymie, par Mr. MACQUER, Docteur en Medecine de la Faculté de Paris, &c. Seconde Edition, revue & conſiderablement augmenté, à Paris, chés I. FR. DIDOT, le jeune, Tom. I. CIↃIↃCCLXXVIII. 8.

**) *Allgemeine Begriffe der Chemie nach alphabetiſcher Ordnung, aus dem Franzöſiſchen überſezt und mit Anmerkungen vermehrt von D.* KARL WILHELM PÖRNER, *Leipzig*, 1768. 3 *Theile*, 8.

Iam vero, quanquam ex his, quae ſumus praefati, ſatis patet, quale nos iudicium de hoc libro ferendum cenſeamus, et quam dignum illum exiſtimemus, qui omnibus chemiae cultoribus ſtudioſe commendetur; ampla tamen oratione hoc ipſum iudicium quo minus confirmemus, inſtituti noſtri ratione impedimur. Hinc optime in illo recenſendo nos verſaturos putamus, ſi praecipua quaedam MACQUERI placita enarremus, ſimulque ad ſupplementa Germanicae verſioni addita reſpiciamus, vt, quae Cl. LEONHARDI in hunc librum ſint merita, quodammodo pateat.

Ac primum quidem praemiſit MACQUERUS ipſi lexico breuem *de ortu et progreſſu chemiae* diſputationem, in qua cum antiquiſſimos, tum nuperos chemicos laudat, et, quid eorum quisque ad illuſtrandam, amplificandamque chemiam contulerit, refert; deinde vero ad ipſas chemiae voces mox breuiori, mox prolixiori ſermone, prout res poſtulabat, explicandas acceſſit, et cum ſuis, tum aliorum tentaminibus atque obſeruatis ſua placita ſtabiliuit. Dabimus nos huius rei quaedam exempla. P. XVII. —XLII.

MEYERI *de pingui acido* ſententiae etſi MACQUERUS non fauet, profitetur tamen ingenue, librum ſuper hac materie ab illo ſcriptum *) lectu eſſe digniſſimum, in quo accuratae et profundae eruditionis multa inſint teſtimonia. Argumenta ipſa, quibus fuit Noſter prohibitus, quo minus illis aſſentiretur, qui cum MEYERO hoc acidum ignis eſſe ſubolem, illudque corpora reddere cauſtica, ſaporem eorundem efficere, cet. putant, in peculiari tractatione *ſuper cauſtica vi* enarrata deprehendimus, p. 7. p. 38.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XII. P. III. p. 468.

mus, eaque ſunt profecto diluendis aduerſariorum dubiis admodum apta. Redeunt autem, quae erudite diſputauit, eo, vt, quamuis concedat, ignem valde cauſticum corpus eſſe, hoc tamen neget, huic ſoli veluti propriam hanc eſſe virtutem, eumque omnis cauſticae vis, qua alia corpora conſpicua ſunt, ſaporisque omnis cauſam ſiſtere. Colligit proinde potius ex permultis, quae recenſuit, obſeruatis, cauſticam ſic dictam virtutem nihil eſſe, niſi eam vim, qua partes corporis hac proprietate inſignis cum aliorum corporum partibus coniunctionem inire annituntur; hinc, pergit, omne corpus, cuius conſtituentes partes ea vi, qua in vniverſum ad coniunctionem impelluntur, inter ſe cohaerent, nec cauſtica virtute, nec ſapore, nec proprietate corpora alia ſoluendi conſpicuum eſt; illa vero materies, cuius minimae et veluti elementales partes ſibi quidem valde proximae, attamen propter peculiarem aliquam cauſam ita poſitae ſunt, vt cohaerere inter ſe, et vere coniunctum corpus conſtituere haud poſſint, atque adeo virtute cum alio ſe corpore coniungendi, quae ipſis propria eſt, adhuc polleant, vt breues ſimus, talis materies, qualis ignis vere ſic dictus eſſe videtur, hanc ipſam ob rationem cauſtica vi, eaque maxima, hinc et ſapore, et proprietate corpora alia ſoluendi, gaudet. Conferre ergo ignem, vt alia corpora euadere cauſtica poſſint, Noſter fatetur, ſed eum tanquam *cauſam ſine qua non*, vt cum ſcholis loquamur, conſiderandum eſſe, cuius vi partes corporum ita mobiles reddantur, vt non poſſint non cauſticam ſuam virtutem exſerere, cet.

p. 9. p. 18. *Aether vitrioli* rite paratus, Auctore Noſtro, a rectificatiſſimo vini ſpiritu valde differt, quod maiorem ille acidi, et minorem aquae portionem habeat admix-

admixtam, ſimulque acidi, quod ad eum parandum adhibebatur, quicquam contineat; nam quiuis aethereus liquor peculiari odore vtitur, et vitriolicus, aliquoties ſuper alcalinum fixum ſal deſtillatus, aliam ſalinam materiem relinquit, quam nitroſus, eadem ratione tractatus. Hinc habendum eſſe aetherem patet, pro fluido ex acido quodam et inflammabilibus vini ſpiritus partibus mixto, quod, POERNERO iudice, comparari cum ſpiritu rectore plantarum odoriferarum poſſit. Ceterum quibus forte haec argumenta minus idonea videntur, iis nuper CRELLIVM, Helmſtadienſem chemicum, omnem dubitandi materiem ademiſſe, LEONHARDVS monet; namque ita felici eſſe CRELLIO contigit, vt naphthas quaſi decomponeret, acidosque liquores, quorum ope paratae illae eſſent, per alia concentrata acida eodem modo, quo ex ſalibus neutrius generis illi ſeparantur, expelleret, hacque ratione aliam naphtham in aliam ex parte transmutaret *). KEIRIVS aetherem vitrioli, praeter alias proprietates, ea etiam vi gaudere expertus eſt, qua arſenici regulum ex regia aqua et argentum ex nitri ſpiritu praecipitet. p. 19. p. 20.

Commixtione et deſtillatione portionum aequalium aceti ſic dicti radicalis, floribus viridis aeris deſtillatione expulſi, et rectificatiſſimi vini ſpiritus *acetoſus aether* obtinetur, cuius quantitas maior eſt ea, quae ex aequali copia acidi vitrioli et ſpiritus ardentis deſtillatione ſeparatur; hinc patet, vini acetum progignendo aetheri aptius eſſe, quam vitrioli p. 22.

*) Conf. *L.* CRELL'S *chemiſches Journal für die Freunde der Naturlehre, der Arzneygelahrtheit, u ſ. w. zweyter Theil, Lemgo,* 1779. *S.* 62.

trioli oleum. Debetne, quaerit MACQUERUS, hoc diſcrimen vini ſpiritui adſcribi, qui, vt multi chemici ſuſpicati ſunt, pars eſt acetum conſtituens, et fortaſſis proxime ad aetheris naturam accedit? Haec autem, quam laudauimus, acetoſi aetheris
p. 21. parandi ratio non vnica eſt; etenim monuit ad hunc locum LEONHARDUS, aliam SPIELMANNUM, aliam, eamque reliquis praeſtantiorem, nuper WESTENDORFIUM*) deſcripſiſſe, atque hunc etiam de proprietatibus aetheris egregie eſſe commentatum. Ceterum quod ad medicatas huius ſpiritus, praeſertim olei vitrioli auxilio parati, vires attinet, multi, eodem, ſi ceruici, aut temporibus fuerit applicatus, cephalalgiam et hemicraniam egregie et tempore admodum breui ſublatas eſſe, teſtati ſunt; at vero MACQUERUS capitis dolores haud vnquam vidit hoc medicamine mitigatos, etſi ſaepenumero, et aucta ſucceſſiue quandoque doſi eo vſus eſt; nihilo tamen minus mederi huiusmodi affectibus aetherem interdum poſſe concedit, et cauſam inefficaciae, quam ipſe ſit expertus, non in aethere, ſed fortaſſis in temperamento ſuo fuiſſe poſitam ſuſpicatur.

p. 109. *Alumen Romanum*, rubro colore inſigne, communi multo eſſe purius, Noſter ſua experientia fuit edoctus: neque enim metallicas, nec vitriolicas in eo partes detexit; hinc in tinctoria arte vtiliter adhibetur, iisque potiſſimum coloribus extrahendis,

*) De WESTENDORFII methodo nuper retulimus, conf. comment. noſtr. Vol. XXI. P. II. p. 219. — SPIELMANNUS vtitur anaticis portionibus aceti concentrati, terra foliata tartari vitrioli olei ope expulſi, et alcoholis vini, vid. EIUSD. Inſtitut. chemiae praelectionibus Academicis accommodatae. Edit. altera. Argentorati. CIↃIↃCCLXVI. p. 193.

hendis, quos vel minima vitrioli martialis portio eſſet valde mutatura, admodum eſt idoneum, quod elegantiae eorundem haud vlla obſit ratione.

Illud *aluminis* genus, quod cognomen a GRAVENHORSTIIS, fratribus, habet, roſeo quaſi gaudet colore, illudque Romano minus purum eſt. Nam conſtitit experimentis ab ERXLEBENIO et BERGMANNO cum Grauenhorſtiano alumine inſtitutis, quae LEONHARDVS in tractatione ſuper hoc ſale inſerta recenſuit, illud, praeter partes ad alumen conficiendum neceſſarias, et alcali volatile et cobaldi calcem, quae ſubrubrum eius colorem efficiat, continere. Ad ipſam parandi eius rationem quod ſpectat, BERGMANNVS eam ita abſolui cenſet, vt cobaldum calcinatum lixiuio aluminis admiſceatur, cuius liberum acidum hanc metallicam partem ſoluat et deinde cryſtallos conſtituat. In tinctoria arte adhiberi commode poteſt, etenim lana colore, qui hoc alumine eſt extractus, tincta aëris vi diu reſiſtit. p. 114.

De *alcalinorum ſalium* ortu etſi nuper ita diſputatum eſt a variis chemiae cultoribus, vt poſſit omnino ſolutum hoc problema videri, MACQVERVS tamen locum adhuc ſupereſſe arbitratur quaeſtioni, vtrum fixum vegetabile alcali in plantis, earumque partibus iam formatum extiterit antea, quam in cineres conuerterentur, fueritque adeo combuſtione ab iis corporibus, quibuscum commixtum erat, ſeparatum; an potius vegetabilia partes ad illud progignendum idoneas tantum continuerint, ex quibus, ignis vi, alcalinum hoc ſal fuerit productum? Et profecto, addit, argumenta ſunt, quibus vtraque ſententia probabilis reddatur, vt omnino ſtatui debeat, partem aliam huius ſalis, combuſtione et incineratione e vegetabilibus pro- p. 147.

ducti, iam formatam ipſis infuiſſe, aliam vero partem ignis demum vi fuiſſe progenitam. Iam vero, etſi ea ipſa argumenta, quibus hoc poſterius placitum inniti Cl. Auctor arbitratur, veroſimilitudine omni haud deſtituta ipſi viſa ſunt, fidendum tamen illis, quemadmodum etiam LEONHARDVS ad hunc locum monuit, non eſt; nam MARGGRAFII *) et potiſſimum WIEGLEBII **) tentaminibus conſtitit, arte produci fixum alcali poſſe nullum, quod illis corporibus, ex quibus ignis vi producitur, iam formatum infuerit. Ceterum varias alcalinorum ſalium proprietates accurate Cl. Auctor expendit, eorumque deſcripſit aduerſus alia corpora relationes.

p. 179. MACQVERI *de formicarum acido* diſſertationem, in qua deſiderarentur ARVIDSONI, nuperi de hac re ſcriptoris ***), accuratae obſeruationes, permultis LEONHARDVS ſupplementis auxit, vt, quae antea valde imperfecta eſſet, iam perfecta, abſolutaque cenſeri debeat. Neque enim ſolum praecepta in acidi huius praeparatione obſeruanda Editor cognita reddidit, ſed proprietates omnes, relationesque eius aduerſus alcalina ſalia, terras varias, metalla, cet. ſtudioſe expoſuit. Largitur autem quaeuis formicarum libra deſtillatione quicquam empyreumatici olei, et circiter vncias ſeptem, drachmasque ſex acidi ſpiritus, qui deinde, in chemicos vſus, repetita rectificatione, in oeconomicos, circumſpecta, iterataque decoctione ab oleoſis partibus, quibus ad putredinem aptus redditur, ſeparari debet. Empyreu-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIX. P. I. p. 57.
**) ibid. Vol. XXI. P. II. p. 223.
***) vid. BALDINGERI *neues Magazin für Aerzte, 2 Band, 2 Stück.*

pyreumaticum odorem hoc acidum ſponte amittit, ſi libero aëri exponitur, isque etiam prorſus poteſt euitari, ſi frigore redditur concentratum. Quod ad proprietates huius ſpiritus attinet, gaudet ille, ſi rite fuerit praeparatus, ſapore acri et, niſi aqua diluatur, vrente, odore itidem acri, neque ingrato. Cum phlogiſto ſulphur conſtituit nullum, inflammabiles tamen vapores emittit, ſi zincum, aut ferrum in eo ſoluitur. Olea difficulter in ſe recipit, nec cum vitriolica naphtha init coniunctionem, cet. Parari vero vtique ex concentrato hoc acido cum p. 181. rectificatiſſimo vini ſpiritu mixto, deſtillatione ex cucurbita, *formicarum aether* poteſt, qui alba flamma deflagrat, nec quicquam fuliginis, aut alius materiei relinquit.

Inter experimenta cum *ammoniaco ſale* inſtituta p. 193. hoc animaduerti phaenomenon ſingulare conſtat, vt, ſi terra calcarea, eaque haud calcinata, medium hoc ſal decomponatur, volatilis alcali cryſtalliſati, neque cauſtici, copia obtineatur talis, quae valde ſuperet illam, qua ſaturatum ſalis acidum antea fuerit; nam libra ammoniaci ſalis octo fere vncias volatilis alcali continet, et nihilo tamen minus quatuordecim ad minimum vncias ſicci volatilis ſalis largitur, ſi deſcripta methodo haec quantitas fuerit tractata. Iam, quae ſit huius euentus, quem produci a calcarea terra ſimul cum alcalino ſale ſublimata DUHAMELIVS exiſtimauit, vera cauſa, Noſter inquirit, eamque repetendam a fixo aëre conſet; illud quippe, inquit, gas, quo creta, aliaeque calcareae terrae refertae ſunt, eo tempore, quo cum ſalis acido coniunctionem terra init, hanc deſerit et volatili alcali vnitur, quod inde cauſtica vi ſpoliatur et ſimul facultatem obtinet, cryſtallinam formam aſſumendi.

p. 199. Volatile alcali ex ammoniaco ſale, praeter calcareas terras et ſalia alcalina fixa, metalla etiam varia, velut argentum, cuprum, ferrum, ſtannum, plumbum, hydrargyrum, zincum, cet. expellunt, quippe quae, ſi rite cum ammoniaco ſale mixta et deinde deſtillationi expoſita fuerint, omnino partem volatilis alcali ab acido ſeparant. Quae, peracta hac ſublimatione, remanet materies, ex metallo, acido ſalis vnito, conſtat, eaque, prout metallum aliud fuerit, aliis proprietatibus inſignis eſt. Ceterum ſi exigua cupri, ferri et plurium aliorum metallorum portio, quae decomponendo ammoniaco ſali haud ſufficiat, cum eo commiſcetur, et deinde ſublimatio inſtituitur, flores ex ammoniaco ſale et quadam adhibiti metalli parte compoſitos obtineri conſtat, in quibus tamen medium ſal aliqua ex parte omnino decompoſitum eſt; nam accuratis tentaminibus LEONHARDVS fuit edoctus, metallicam ſubſtantiam, eamque ſalis acido ſolutam, his floribus immixtam eſſe.

p. 213. De *arſenico*, eiusque *regulo*, *butyro*, *hepate*, cet. ita diſputauit Auctor, vt omnino multa LEONHARDVS reperiret, quae Macquerianis placitis adderet.

p. 246. Potiſſimum autem *acidum arſenici* conſiderandum in peculiari tractatione ſibi Editor ſumſit, in qua cum veterum, tum recentiorum chemicorum, velut BERGMANNI et SCHEELII ſuper eo labores, eorumque euentus accurate enarrati ſunt. Etſi vero lubenter fatemur, praeclara eſſe, quae LEONHARDVS ſuper praeparationibus huius acidi variis dedit, praecepta, iis tamen recenſendis non magis, ac proprietatibus ipſius acidi definiendis immorabimur, qui iam alio loco de BERGMANNI *) et

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. P. III. p. 446.

et SCHEELII *) ſuper hac re obſeruationibus retulerimus.

*Benzoës flores* parandi methodum Cl. BAVME', quae duabus patinis abſoluitur, in quarum altera igni exponitur reſina, in altera flores colliguntur, praeferendam Auctor communi cenſet, quod, ſi chartacei coni adhibentur, multi, eo iudice a charta flores abſorbeantur. Sed monuit iam olim, ſua experientia niſus, ad hunc locum POERNERVS, methodum, quam MACQVERVS reiecit, valde praeſtare Baumeana, et verendum nulla omnino eſſe ratione, ne charta, ſi modo ſcriptoria adhibita fuerit, multos in ſe flores recipiat. Ceterum ſublimatae hoc modo cryſtalli dulci et aromatico ſapore vtuntur, eaeque corpora in alcalinis liquoribus ſoluta, e. g. antimonii ſulphur, deiiciunt, atque cum alcalinis, non cauſticis ſalibus, efferueſcentia vehementi praegreſſa, media, eaque ad cryſtalliſationem apta, et ſubdulci ſapore conſpicua ſalia progignunt **). p. 279.

*Coeruleum Berolinenſe* Noſter ex ſuorum tentaminum, quae olim inſtituit ***), euentibus colligit, eſſe ferrum nimia inflammabilis materiei portione veluti ſuperſaturatum, quam alcali phlogiſto abundans, quo praecipitatio peragitur, ſuppeditat; nam repetitis obſeruationibus fuit edoctus, ferrum ex ſolutione in acidis liquoribus phlogiſticati huiusmodi alcali ope praecipitatum tanto magis eſſe coeruleum p. 286.



*) ibid. Vol. XXIV. P. IV. p. 590.

**) Qua SCHEELIVS vtatur in praeparandis benzoës floribus ratione, in Comment. noſtr. Vol. XXIV. P. IV. p. 585. expoſitum eſt.

***) vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 654.

ruleum, aut viride, quanto maiori inflammabilis materiei copia refertum alcalinum ſal fuit, illiusque partem aliam ab affuſis acidis ſolui, aliam, eamque potiſſimum coeruleam, relinqui omnino intactam; hinc, pergit Auctor, patet, coeruleum Berolinenſe, ferream eſſe calcem cum aliena quadam ſubſtantia coniunctam, quae peculiarem ipſi colorem tribuit, eamque ita omnino mutat, vt nec in acidis ſolui, nec a magnete attrahi amplius poſſit. BERGMANNVS hac in re a MACQVERO recedit, variisque argumentis, iisque, LEONHARDO iudice, ad perſuadendum idoneis, demonſtrare anniſus eſt, eam lixiuii ſanguinis partem, quae ferreae calci vnitur, hancque coeruleam reddit, peculiare fortaſſis eſſe animale acidum, neque amplius alcalina natura gaudere.

p. 294. Deſtillatione ex coerulea hac calce MACQVERVS partim fluidum, partim ſiccum volatile alcali et oleoſum liquorem, eumque animali cuidam oleo ſimilem, obtinuit, quem ab oleoſa ſanguinis parte, calcinatione in carbonem non penitus mutata, originem traxiſſe, primum arbitrabatur; at enim vero, cum Cl. BAVMÉ hoc ipſum oleum in recipiens vas prodire vidiſſet, quamquam coeruleum Berolinenſe, quod deſtillationi expoſuerat, cum alcalino, eoque carbonibus phlogiſticato reddito, ſale paratum erat, coniici, inquit Noſter, omnino debet, vel carbones rite confectos omni oleo haud eſſe deſtitutos, vel oleum, quod deſtillatione ex hoc coeruleo ſeparatur, hac operatione progigni.

p. 373. *Magneſiam nigram*, quam alii ferro abundare, alii metallicas partes continere omnino nullas arbitrati ſunt, GAHNIVS nuper experientia ſua fuit edoctus ſingulari metallo conſtare, quod durum, fragile,

fragile, album et ſplendens eſt, ipſoque ferro difficilius fluit. Cum ſulphure coniunctionem inire videtur nullam, vitriolum vero parari ex eo poteſt diaphanum et parallelepipedi figura inſigne, cet. Magneſia hac nigra, eaque potiſſimum Pedemontana, quae reliquis ſpeciebus praeſtet, vitriarios vti, notiſſimum eſt.

Super ignis *cauſtico*, vt dicitur, *vitro* vehemen p. 454.
tioris redditi in varia corpora effectibus multas, easque perutiles obſeruationes, quae in Francogallia potiſſimum inſtitutae fuerunt, in peculiari Auctor diſſertatione recenſuit, iisque varias addidit annotationes, quae profecto non minus, atque ipſae obſeruationes, lectu ſunt digniſſimae. Laudauit autem primum MACQUERUS ea tentamina, quae exeunte nupero ſeculo et hoc ineunte cum vitris a TSCHIRNHAUSENIO confectis inſtituta et relationi de geſtis Academiae Scientiarum Pariſinae rebus inſerta ſunt, et tandem catalogum exhibuit laborum a CADETO, BRISSONIO, LAVOISIERO, ſeque ipſo ea de cauſa ſuſceptorum, vt huiusmodi vehementiſſimi ignis in metalla cum integra, tum calcinata et mineraliſata pariter, atque in terreſtria, lapidea ac ſalina corpora vires cognoſcerentur. Nos euentibus his, quos ſtudioſe Auctor annotauit, recenſendis non immorabimur, qui in compendium redigi omnino non poſſint.

*Butyrum Cacao*, cuius Noſter et parandi ratio- p. 535.
nem, et proprietates reddidit cognitas, largiri repetita deſtillatione oleum bruno colore conſpicuum et liquorem acidum ſubluteum, in retorti autem vaſis fundo relinquere carbonem admodum rarum et fere transparentem, CRELLIVS nuper expertus eſt, isque ſimul obſeruauit, acidum ex hoc butyro

prolectum et leni igne denuo deſtillatum, cum calcrea terra ſal in aëre non deliqueſcens, et cum volatili alcali ammoniacale ſal, idque ad cryſtalliſationem aptum, conſtituere, atque adeo cum has proprietates, tum vires pulueriſatum antimonii regulum ſoluendi, habere hunc liquorem cum acido ſebi bouini et ſpermatis ceti communes. Libra huius butyri CRELLIO largita eſt vncias duodecim, drachmas quinque et grana quatuor olei bruni, ſeptem drachmas et triginta grana acidi, et vnciam, granaque octodecim carbonis. Ceterum etſi fuerunt inter chemicos, qui hoc butyrum nunquam rancidum euadere perhiberent, SPIELMANNVS tamen atque BAVMEVS illud omnino huiusmodi mutationem ſubiiſſe experti ſunt.

p. 546. *Acidum*, quod *malis citreis* ineſt, et expreſſione ex iis obtinetur, frigore concentrari, hacque ratione reddi aptum poſſe, quod cum alcalinis ſalibus et abſorbentibus terris ſalia media conſtituat, nuperis potiſſimum experimentis euictum eſt. Deſcripſit ergo LEONHARDVS, cum MACQUERVS de hoc ipſo acido haud fuerit locutus, eam methodum, qua in eo praeparando vtendum ſit, inſimulque tentaminum, hactenus cum eo inſtitutorum, dedit epitomen. Et primum quidem monet, alcalinum fixum ſal citri acido ſaturatum difficulter cryſtallinam formam aſſumere, aut certe enatas hoc modo cryſtallos humores ex aëre lubenter attrahere, quemadmodum citrati tartari exemplo probatur. Minerale autem alcali vere cryſtallinum, idque in aëre non deliqueſcens ſal cum hoc acido profert, cuius cryſtalli admodum varia forma conſpicuae ſunt. Saporem hoc pariter, atque ſal ammoniacum citratum, cuius cryſtalli acuum formas referunt, mitem et refrigerantem in lingua excitat.

Cum

Cum abſorbentibus terris lubenter hoc acidum coniunctionem init, neque tamen, BERGMANNO auctore, iis penitus ſaturari poteſt; etenim antea, quam eam terrae calcareae ponderoſae, aut magneſiae copiam, quae ſaturando acido par ſit, in ſe recipiat, terrea quaedam materies, eaque in aqua difficulter ſolubilis, fundum rurſus petit, quae in ſupernatante liquido non ſoluitur, niſi noua acidi portio fuerit affuſa. Salina materies, quae, euaporatis his ſolutionibus obtinetur, cryſtallinam formam non induit, ſed maſſam Arabico gummi quaſi ſimilem refert. p. 548.

Ex metallicorum corporum claſſe zinci, cobaldi, cupri, mercurii, argentique calces, et ferrum, zincumque metallicum hoc acidum aggreditur, atque veras cum his corporibus profert ſolutiones; in ſtannum autem, biſmuthum, et antimonii, arſenicique regulos, WENZELIO teſte, effectus vix vllos exſerit, quorum metallorum ſuperficies tantum arrodat, nec quicquam ſoluat. Ceterum ea forte methodo, qua WESTENDORFIVS in concentrando aceto vſus eſt, hoc etiam acidum magis concentrari, reddique adeo aptum poſſe, ex quo citri aether parari queat, LEONHARDI coniectura eſt, eaque veri profecto admodum ſimilis. p. 550.

In tractatu ſuper *adamante* rationem reddit MACQUERVS de multis tentaminibus nuper a variis chemicis, ſeque ipſo in Francogallia cum hoc lapide inſtitutis, iisque omnino conſtitiſſe refert, eum vehementiſſimi ignis vi haud reſiſtere, ſed prorſus ea deſtrui; nam ſenſim eius maſſa hac ratione fuit imminuta, donec tandem prorſus diſpareret. Vapores, cum adamas ita tractabatur, MACQUERVS obſeruauit nullos, nec ſenſit odorem. Diſquiſiuit etiam p. 573.

etiam nonnullos horum lapidum antea, quam prorſus eſſent deſtructi, eosque reperit ſuperficie haud amplius polita, nec acutis, ſed potius obtuſis angulis praeditos, et hinc inde veluti foraminulis pertuſos eſſe, vt non male poſſent cum pumice hoc reſpectu comparari. Hinc omnino inter corpora, quae comburi poſſunt, adamas pertinet, nec fere magis illi fixi corporis nomen, quam carbonibus, conuenit.

p. 613. *Atramenta ſympathetica* dicuntur, quae vix vllo, ſaltem vix ſenſibili colore gaudent, eaque de re litteris ſcribendis inſeruiunt, quae, niſi antea peculiari artificio aptae reddantur, quae poſſint legi, veluti inuiſibiles ſunt. Hinc et martialis vitrioli in aqua ſolutio, et atramentum nigrum colore ſuo admixtione nitroſi acidi priuatum, et plures alii liquores ad huiusmodi atramenta pertinent, cum mox gallorum tinctura, mox alcalini ſalis ſolutione, mox alio fluido litterae illis ſcriptae viſibiles reddi poſſint, ſi modo charta huiusmodi humore, qui nimi-
p. 616. rum atramento conueniat, illiniatur. Celebre autem potiſſimum eſt illud ſympatheticum atramentum, quod reguli, aut terrae metallicae cobaldi in aqua regia ſolutione paratur, quo quippe, ſi qua aquae communis portione dilutum illud antea fuerit, litterae poſſunt ſcribi, quae in conſpectum non veniunt, niſi calida charta reddatur, quo artificio viridem illae colorem induant. Hic ipſe autem color ſaepe conſpicuus hoc modo reddi poteſt; nam, refrigerata charta, is rurſus euaneſcit. Bismuthi in nitri acido ſolutio etiam inter huiusmodi atramenta pertinet, qua ſcriptae litterae nigrae fiant, ſi charta phlogiſticis vaporibus hepatis ſulphuris exponatur.

Corpora,

Corpora, quae agris foecundis reddendis inſer- p. 618.
viunt, duplicis ſunt generis; alia quippe ſolum emendant, atque adeo impedimenta varia, laetae plantarum vegetationi aduerſa, remouent, alia, eaque variis partibus plantis nutriendis aptis referta, ſolum ipſum foecundant, aruaque fere ſterilia laeta reddunt, ex quibus nutrientes partes aſſugere plantae poſſint. Illud vero ſolum, quod argilloſa terra, eaque atra humo, terra calcarea et exigua arenae portione mixta, conſtat, aliis, experientia teſte, magis foecundum eſt, quod, quae admixtae arenae, humique eſt virtus, rarum ſatis ſit, et attrahendis, retinendisque forte igneis particulis idoneum, ſimulque ab argilla humiditatem ſervandi, et a calcarea terra aëreas, aquoſas et oleoſas partes attrahendi facultatem habeat. Hinc perſpici facile poteſt, ſolum, quod vna, alteraue harum terrarum deſtitutum ſit, ineptum eſſe ad plantarum vegetationem, illudque proinde admixtione deficientis materiei, vel aliis idoneis mediis emendari, foecundumque reddi debere. Plura autem corpora ſunt, quibus obtineri hunc finem poſſe dictum ſit, quorum proinde praecipua LEONHARDVS, qui Auctor eſt huius *de foecundatione agrorum* tractatus, nominauit, ſimulque eorum vel adhibendorum, vel euitandorum dedit praecepta.

Inter *elementa* MACQUERUS cum multis aliis p. 678.
phyſices doctoribus ignem, aërem, aquam et puriſſimam terram refert, quod, analyſi corporum perfectiſſima inſtituta, vna tandem, vel altera harum materiarum, vel eae omnes remaneant. Etſi vero, addit, haec ipſa corpora ſimplici natura vti videntur, poſſunt tamen vel ex pluribus aliis, magis ſimplicibus, materiis compoſita, vel omnino, vt BVFFONVS arbitratur, ita eſſe comparata, vt vna in alteram

teram transmutari poſſit. At enim vero, quum experimentis deſtituamur, quibus ſolui haec problemata queant, omnino coactos nos eſſe Auctor cenſet, vt nominata quatuor corpora inter elementa referamus, quae vt ſimplicia agant, ideoque hoc nomine digna ſint.

p. 393. Igneum elementum, (vt, quos de hoc et ſimplici terra MACQUERVS foueat opiniones, hic breviter recenſeamus,) ſi coniunctionem cum aliis materiebus iniit, *phlogiſton* dici ſolet, quo valde natura eorum corporum, quibuscum mixtum eſt, mutatur, vt, quae antea igni omnino reſiſterent, iam comburi poſſint. Non differt autem, Auctore Noſtro, hoc ipſum phlogiſton a lucis materia, vtpote quae ſine intermedio quodam corpore, et potiſſimum ſine aëris acceſſu in plantis, vitalis earundem actionis ope, fixa reddita eſt, et olea conſtituit, ſub quorum deinceps forma aliis corporibus admiſcetur, nouasque init coniunctiones, ita vt, haec olea omnibus phlogiſticis et ignis vi haud reſiſtentibus corporibus, quae nobis cognita ſunt, originem praebere, dici poſſit. Hinc, ſi haec placita vera ſunt, ſimul patere Cl. Auctor arbitratur, quos vegetatio effectus producat, ſine qua neque olea, neque animalia, nec metalla, cet. produci queant.

p. 683. Ad *elementarem* terram quod attinet, hoc MACQUERUS nomine *vitreſcibilem* potiſſimum dignam iudicat, quae aliis ſimilibus ſubſtantiis velut magneſia, terra calcarea, cet. durior, ponderoſior, magisque fixa ſit, et diutiſſime igni reſiſtat. Ceterum, vt hoc vnum addamus, reliquis nuper ſimplicibus terris BERGMANNVS *nobilem* accenſuit, quae pretioſis nonnullis lapidibus et potiſſimum adamanti baſin praebeat, atque a ſilicina in eo diuerſa ſit, quod

quod nec ſolui in vllo acido queat, nec cum minerali alcali efferueſcat, aut aliquo modo ab eo afficiatur, cum borace vero et phoſphori acido liquore ineat ſolutionem atque aperto igne flammis conſumatur.

XI.

Dictionarium botanicum, *oder botaniſches Lateiniſches und Deutſches Handwörterbuch für Aerzte, Kameraliſten, Apotheker, Specereihändler, Kräuterkenner, Bluhmiſten, Oekonomen, Gärtner und Fabrikanten, nach dem Linneiſchen Syſteme. Leipzig bey Chr. Gottlob Hilſchern* 1781. 8. *Seitt.* 376.

Dictionarium botanicum, *oder botaniſches Deutſches und Lateiniſches Handwörterbuch für Aerzte etc. ib. eod.* 8. *Seitt.* 485.

i. e.

Dictionarium botanicum Latino Germanicum et Germanico Latinum, in vſum medicorum, rerum ad publicos reditus ſpectantium peritorum, pharmacopoeorum, aromaticorum, botanicorum, floriſtarum, oeconomorum, hortulanorum, opificumque, ſecundum Linneanum ſyſtema.

Huius dictionarii duplicis Auctor eſt Cl. c. f. REUS *), qui ſecundum Linneanum ſyſtema illud

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXI. p. 672.

illud condidit. Quod omnia genera et ſpecies plantarum continet, vna cum in variis Germaniae regionibus vſitatis nominibus plantarum nationalibus, quotquot ſcriptis in botanicis reperiri, aut aliis occaſionibus datis, tradi potuerint, ita tamen, vt nomina plantarum ex aliis linguis ſint miſſa.

Eſt itaque Latinus et Germanicus ſolummodo plantarum index duplex, Latino Germanicus ſcilicet et Germanico Latinus. Omnia Germanica plantarum nomina quidem in altero indice Germanico Latino euolui poſſunt, ita tamen, vt ad Latino Germanicum Lectores amandentur, vbi alia plantarum praecipua nomina ſunt collecta, quae plantis imponere ſoliti ſunt.

Praecipua nomina Noſter ideo tantum curavit, partim cum non omnia nomina plantarum nationalia vbique, ſed ſigillatim ſint nota, partim ob nomina plantarum pro lubitu florum curioſorum ficta.

Idem accidit varietatibus, quae non, niſi breuiter, ſunt propoſitae, quoniam genera et ſpecies earum his duobus indicibus inſunt. Raro enim plantae vtilis et notae vnum nomen eſt datum, ſed plura, quorum ſaltem nonnulla in hoc dictionario botanico legi poſſunt.

Ita variis huius rei difficultatibus ſuccurrere arbitratur Cl. Auctor, et commoditati medicorum, botanicorum, oeconomorum cet. vti ex libri inſcriptione intelligitur, ſeruire.

## XII.

Chelonographia *oder Beſchreibung einiger Schildkröten nach natürlichen Urbildern, verfertiget von* D. IOHANN IVLIVS WALBAVM. *Mit einer Kupfertafel. Lübeck und Leipzig. In Commißion bey Iohann Friedrich Gleditſch.* 1782. 17 *Bog. in* 4.

i. e.

Chelonographia ad archetypos natiuos curioſorum naturae peregrinorum cauſa latino ſtylo ſtrictim exarata, ab IOHANNE IVLIO WALBAVM. M. D.

Conſilium Cl. Auctoris laudandum vtique eſſe cenſemus, quo et animalium nondum ſatis perfecte cognitorum hiſtoriam perficere ſtuduit, et eandem, vt omnibus ſcientiae naturalis ſtudioſis vtilis fiat, Latine et Germanice conſcriptam tradidit. Eſt quidem Germanica expoſitio vberior, neque Latinus tractatus verſio verborum, ſed rerum earundem perfecta epitome, cui etiam adſperſa inveniuntur ſcholia nonnulla lectu digna. In deſcribendis Teſtudinum ſpeciebus imitatum ſe eſſe ait Cl. Auctor pictorum methodum, qui, deſcriptione corporum lineari abſoluta, ſitum, et proportionem partium ſingularum atque omnia, quae repraeſentandae effigiei inſeruiant, diligenter pingant. Igitur, nomine et ſynonymis traditis, corporis ambitum, colorem, et veſtitum primum, dein ſquamarum numerum, figuram, capitis, roſtri, maxillarum, narium, oculorum, aurium, palati, gulae, linguae, colli, trunci, ſcuti et ſterni oſſeorum, caudae, ani, partium genitalium, pedum et vnguiculorum proprietates, iuxta a ſe ipſo inſtitutas obſerua-

tiones enarrauit: iisque nddidit, quae de habitatione et vſu alii Viri clariſſimi proponerent, et ipſe expertus eſſet. Atque hac laudabili methodo agit de Teſtudine *Caretta*; de Teſtudinis Carettae varietate ac de *Lepade Teſtudinaria*, de *Teſtudine imbricata*, *macropode*, noua, vt Auctori videtur, ſpecie, et *verrucoſa*, ac denique de ſingularibus variarum Teſtudinum partibus.

p. 101. *Teſtudinis Carettae* varietas, de qua exponit Cl. WALBAVM, differt ab ipſa ſpecie magnitudine, *colore lucidiore*, et numero ſquamarum ſcuti dorſalium: praeter quinque ſexangulares, ſpeciei proprias, duae acceſſoriae, diſſimiles et inaequales, dente deſtitutae aderant: prima earum breuis, quinquangularis, glabra retro acuta, tertiae ſexangulari, quaſi imbrex, incumbebat. Altera oblongo quadrata, maior quidem prima acceſſoria, ſed minor ſequente, inter tertiam et quartam ſexangularem locum ſuum habebat.

p. 102. Sequitur expoſitio partium internarum, et quidem bulbi oculorum, aurium, tracheae, oeſophagi, peritonaei, cordis, hepatis, felleae veſiculae, lienis, pancreatis, pulmonum, meſenterii, ventriculi, inteſtinorum, renum, veſicae vrinariae, penis; carnis, p. 103. pinguedinis, ſanguinis; tum ſceleti eiusque ſingularum partium. De corde haec habet: „in duos ventriculos pariete intergerino diſcretum eſt, quorum vnus latior, alteri longiori ſubiacet. Tertium, quem aliqui auctores in aliis teſtudinibus obſeruavere, inuenire non poterat Auctor. Parietes inferioris ventriculi glabri fibris raris, membranaceis intus attrahuntur. Foramen ante auriculam dextram valuula carnoſa, lanceolata clauditur. Paries intergerinus ventriculorum perforatus eſt: et enim ſubter angulum cordis ſiniſtrum eſt rima, quae in ventriculum ſuperiorem patet. Duo tubercula

bercula plana in ventriculo inferiori, ſibimet oppoſita, rimam comprimunt ac ſanguinis regreſſum impediunt. Tuberculum ſuperius, extremo venae cauae ſuperioris incumbens, cuius orificium in ventriculum ſuperiorem patet, valuulae officium ei praeſtat. Ventriculus ſuperior anguſtus, longior, rugoſus eſt. Ex illo prodeunt duo trunci arteriarum, quae ramos ad omnes partes ablegant. Aures cordis inaequales. Dextra maior, tenuis, intus glabra, cuius orificium poſterius valuula lanceolata operitur. Siniſtra auris intus rugoſa a ſuperiori ventriculo valuula quadam ſuborbiculata carnoſa diſtinguitur.„ Optaremus ſingularem hanc cordis, tot deſcriptionibus diuerſis potius occultatam, quam declaratam, ſtructuram a quodam Autopta iconibus fidis illuſtratam.

*Teſtudinis macropodis* ſcuto ouato, carinato, emarginato, ſterno gradato, pedibus pinniformibus maximis, bifariam vnguiculatis, icon forte eſt ab *Edwardo* tab. 206. data, atque in SELIGMANNI collectione *) Tom. VI. tab. 101. repetita: ſed hanc iconem putamus ſiſtere *Teſtudinis Mydae* LINN. varietatem, eademque etiam conuenit cum illa, quam MÜLLERVS in verſione Linneani ſyſtematis Germanica Tom. III. tab. I. f. 3. recudi curauit. p. 112.

*Teſtudo ſcabra* LINN. ab Auctore *verrucoſa* dicitur, hisque ſignis diſtinguitur: capite glabro, discolore: ſcuto ouali, demiſſe conuexo, excelſe carinato, ſcabro, pedibus ſubpalmatis. Reliquae partes ab Auctore deſcriptae ſunt 1. lorica *Teſtudinis ſignatae*, quae nuſpiam alibi depicta nec deſcripta eſt: ideoque eandem in tabula addita aeri incidi curauit. 2. lorica *Teſtudinis tabulatae*. 3. lorica variegatis tabulatae Teſtudinis campanulata. 4. caput va- p. 116. p. 120. p. 122. p. 124.



*) *Sammlungen verſchiedener ſeltener Vögel von* I. M. SELIGMAN. Tom. VI. tab. 101.

ſtum Teſtudinis marinae roſtro anſerino, quod de teſtudine viridi, *Mydas* dicta, reſectum eſſe coniicit. 5. caput Teſtudinis roſtro gallinaceo. Vtrum haec ad teſtudinem capitonem, *Caöuanna* dictam, de qua BROWN *) breuiſſimam et imperfectam deſcriptionem dedit, aut ad aliam Teſtudinum ſpeciem pertineat, nauigatorum diſquiſitioni definiendum relinquit. 6. de ſcuto ingenti Teſtudinis marinae, quod ex Teſtudine viridi, ſ. *Mydas* dicta, eſſe coniicit Noſter. Sub finem indicem Teſtudinum, imperfecte deſcriptarum aut incognitarum, addidit, atque catalogum animantium, circa quarum naturam obſeruationes inſtituit, ſubiecit, quas, ſi hae placuerint, publici iuris reddere promittit. Nos quidem, etſi Teſtudinum viuarum corpora indagandi occaſione caruimus; tamen deſcriptiones partium externarum, quas cum loricis ipſis comparauimus, diligenter et ſtudioſe factas inuenimus, ideoque non dubitamus, quin vtiles futurae ſint Cl. Auctoris obſeruationes, publico applauſu dignae.

XIII.

*Vermiſchte Abhandlungen aus der Thiergeſchichte von* BLASIVS MERREM. *Mit 7 Kupfern, im Verlag bey Viktorinus Boſſiegel,* 1781, 1 *Alph. in* 4.

i. e.

Tractatus Zoologici varii argumenti Auctore BLASIO MERREM. additis tabulis aeneis 7.

Primitiae, quas hic naturae curioſis offert Cl. Auctor, eiusmodi ſunt, cum quoad rationem rerum et obſeruationum, quas contemplatus eſt, inſtituit, tum praeſertim habito ipſius methodi reſpectu

*) *Natural hiſtory of Iamaica.* p. 465.

ſpectu, non laude ſolum omni et attentione dignas cenſeamus; verum etiam optemus, vt Cl. Auctor in coepto tramite pergat, atque Zootomiae adeo neglectum ſtudium, quod tamen maximi in phyſiologia animalium eſt vſus, atque ponderis, proſequatur ea, qua hic fecit, cura ac ſolertia. Recte enim animaduertit primum, LINNEVM in definiendis characteribus animalium, inprimis Glirium et Falconum colore vſum eſſe, quem tamen Ipſe ſignum fallax et inconſtans habuit; indeque euenisſe, vt plures varietates in ſpecierum numerum intrarent. Operam igitur dedit characteres ſpecificos ex ipſa corporis ſtructura differente colligendi: factumque ſic eſt, vt plures ſpecies Linneanae ad varietates relegarentur. Itaque duo potiſſimum ſunt, quos conſcripſit tractatus, quorum alter *tentamen nouae genera et ſpecies Glirium definiendi methodi* offert, in altero autem *ſigna characteriſtica Aquilarum et Falconum* determinantur. Quibus quidem ſubiunctae ſunt hiſtoriae vberiores *Muris muſculi*, et quorundam *Falconum*, tum denique vermis cuiusdam, in hepate Murium nidulantium, de quibus quidem omnibus iam ex ordine videamus.

Numeroſiſſimus quoad ſpecies eſt Glirium ordo. Plurimae earum, vt nouiter detectae, vel aliis ex cauſſis neglectae, tam parum ſunt diſquiſitae, tam breuiter deſcriptae, vt fere dignoſci nequeant. Laudat quidem Noſter DAVBENTONI et PALLASII ſtudium, huiusque nouiſſimum librum, *nouae ſpecies Quadrupedum e Glirium ordine* inſcriptum, (de quo quidem iam audiuimus, nondum autem ipſius compotes facti, impedimur, quo minus de eodem ad Lectores referamus): relicta ſibi tamen eſſe putat, quae corrigeret adderetque. Praemiſſis itaque characteribus, qui vniuerſo Gli-

rium ordini competunt, genera a Cl. Auctore conſtituta ſunt haec: 1. *Hyſtrix.* Germ. *Stacheltier.* 2. *Caſtor.* 3. *Lepus.* 4. *Foſſor*: Germ. *Graber*: ita nominat Lepores reptabundos, ecaudatos PALLASII, quos medium genus inter Lepores et Cauias efficere putat Auctor. Etenim dentibus, numero digitorum, pedumque palmis ac plantis ſubtus piloſis cum Leporibus conueniunt; habitu autem, numero coſtarum, caudae defectu, habitaculis in cryptis, vellere et auribus Cauiae generi ſimiles ſunt: ab vtrisque differunt dentium figura, clauiculis perfectis, pedibus poſterioribus, et capitis figura. 5. *Cauia* Germ. *Ferkel.* 6. *Spalax*, Germ. *Kleinauge.* 7. Mures cunicularii, Germ. *Zeiſt.* A muribus differunt dentibus minoribus, inferioribus primoribus latioribus acutioribusque, capite craſſiore et obtuſiore, auribus paruis, cauda breui piloſa, pedibusque breuioribus. 8. *Mus.* 9 *Iaculus.* Germ. *Springer.* 10. *Glis* G. *Ratze*; Mures lethargici PALL. Glir. p. 87. 11. *Sciurus.* 12. *Arctomys*, Germ. *Ziſel.* Iam, etſi negandum non eſt, plura genera iure eſſe conſtituta; fateri tamen etiam conueniet, nonnulla eorum genericis characteribus non ſatis diſtingui; id quod praeſertim de Foſſore et Muribus cunicularibus nobis valere videtur. Sic etiam nomen *Gliris*, vel Germ. *Ratze*, confuſioni cum
p. 17. nomine ordinis locum facit.

In ſpecierum conſtitutione, vt diximus, ſtru-
p. 19. cturae differentis rationem habens, quasdam Auctorum ſpecies ad varietates refert. Neque tamen ſatis fundata videtur reductio *Muris zibethici* ad *Caſtoris* genus: differt enim nimis habitu, et vitae ratione, quibus ad Mures propius accedit
p. 24. Cauiam Aguti, (Mus Aguti LINN.) C. Acouchy et C. leporinam (Mus leporinus L.) tres varietates vnius ſpeciei habet. *Murem Paca* ad *Spalacem* refert. *Mus amphibius* et *paludoſus* LINN. Auctori

ſunt

ſunt varietates. *Murem Rattum* originetenus ex America in Europam translatam eſſe affirmat. p. 30.
Ex ſubiuncta hiſtoria *Muris muſculi*, quae diligenter eſt conſcripta, notemus, Auctorem vidiſſe exempla murium cicurorum, tantamque eſſe eorundem multiplicationem, vt medius numerus ex ſingulo pare in anni ſpatio naſcendorum ſit 3480. p. 45.
Denique confirmat Noſter, ſe vidiſſe duos mures cauda adeo ſecum conuolutos, vt ſeparari non poſſent. Diligentem vberiorem omnium partium externarum interiorumque lectioni commendamus.

Sequitur Auctoris tractatus de Aquilis et Falconibus, pari diligentia et *ακριβεια* exaratus. Interim tamen diuiſionem Aquilarum et Falconum non approbamus, ſed eas potius cum LINNEO vni generi ſubmittendas eſſe cenſemus. Etenim non limites ſunt certi, pluresque ſpecies pari ratione poſſent Aquilis ac Falconibus accenſeri. Maior eſt confuſio in ſpecierum certa conſtitutione, in qua conſentimus cum Auctore, qui plures ad varietates retulit: etſi de omni reductione iudicare non licet, niſi contemplata ipſa aue viua. *Aquila* p. 110.
*leucocephala*, cuius vberiorem ſubmittit hiſtoriam, noua Cl. Auctori videtur ſpecies, quae *pedibus ſemiplumatis*, *et cauda cuneiformi* diſtinguitur. Laudem praecipue meretur ſolers cura, quam in indaganda partium interiorum forma et ratione adhibuit, et quae, vt exemplum Zootomis eſt commendanda: ſceleton et muſculorum ſtructura iconibus eſt illuſtrata. *Falconis bruni* icon a FRISCHIO *), p. 164.
qui eum *Vulturem pygargum* dicit, ſolo data eſt, BRISSONII atque BVFFONII deſcriptionibus iuxta hanc factis. Qui quidem, cum auem viuam non viderint, minus recte eandem ad varietates retu-

 lerunt

*) vid. EIVSD. *Vögel. Klaſſ.* 7. *Abt.* 3. *Taf.* 76.

lerunt. Noſter igitur eundem diſtinguit *roſtro edentulo* et *cauda rotundata*; icon adiecta ſatis eſt
p. 169. egregia. Denique vermis cuiusdam hiſtoria deſcriptio et icon additur, quem ad Faſciolas ſaccatas refert Noſter; habitat ille in hepate *Muris muſculi*, eſtque iuxta recentiorum obſeruationes *Taenia hydatigena* ſingularis formae, de qua cum proxime recentiſſimos Helmintologorum libros indicaturi ſimus, plura hic referre dubitamus.

## XIV.

CAROLI A LINNÉ M. D. Termini botanici; Claſſium methodi ſexualis generumque plantarum characteres compendioſi; recudi curavit primos cum ſuis definitionibus interpretatione germanica donatos PAVLLVS DIETERICVS GISEKE, M. D. Phyſ. Prof. in Gymnaſio Hamb. Hamburgi ſumtibus B. Chr. Heroldi Viduae excudit Car. Wilh. Meyn. CIↃIↃLXXXI. 15½ plagg. in 8.

Etſi iam ſaepius propoſita ſunt, quae hic coniunctim edidit Cel. GISEKE: tamen, cum rudimenta botanices compendioſe tradenda ſuſcepiſſet auditoribus, quibus omnino filo quodam in docendo et repetendo opus eſſet; ſelecta quaedam capita theoriae botanices Linneanae, qua praeſtantiorem non nouit, exſcribenda cenſuit. Terminos igitur botanicos, qui in Amoenitatibus Linneanis Vol. VI. inſerta ſunt, hic etiam propoſuit, eosque ipſos eorumque definitiones ſimul germanice interpretatus eſt. Addidit etiam, introductionis loco, praefationem LINNEI Generibus plantarum praefixam, quae alteram clauem ſyſtematis Linneani, ſeu reformationis botanices theoriam continet,

net, qua lecta intelligeretur, non esse meram nomenclaturam a botanices studioso discendam, sed philosophandum etiam esse. Tum quoque ampliores Classium descriptiones e *Generibus plantarum*, tum ipsorum generum characteres compendiosos e *Systemate* omnes excerpsit, eum in finem, vt hoc portatili libro, quicunque in horto sint obambulaturi, velintque quoduis a LINNEO descriptum genus examinare, possint eodem vti. At nonne tum specierum catalogus deest, qui forsan solis characteribus specificis potuissent subiungi: nam species sunt, quas cernimus, non genera? FORSKÅLII, AVBLETI, et FORSTERI recentiora genera omisit, quum eorum tanta sit raritas, vt vix centesimo botanicorum spectanda fore credibile sit. Figuras, quae libri pretium nimis auxissent; exempla plantarum, quas docens suppeditet necesse est, et terminos, quibus alii ante vel post LINNEVM vsi sunt, consulto omisit.

His in genere de libri ratione, iuxta Auctorem Celeberrimum, expositis addamus haec: versionem terminorum Germanicam in plurimis esse naturae et idiomati conuenientem, et in nonnullis tantum correctione egere: tum quosdam errores typographicos inueniri, quos certe quilibet doctor corrigere poterit. Folia patentissima LINNEVS saepe dicit *horizontalia*, quem terminum, vti et *folia lobata* omissa animaduertimus. *Spica setacea*, *scariosa*, *pedunculata*, quibus terminis LINNEVS ipse vtitur, vti etiam petalorum differentiae non indicantur.

p. 36.
p. 62.

XV.

Supplementum plantarum ſyſtematis Vegetabilium Editionis decimae tertiae, Generum plantarum editionis ſextae et ſpecierum plantarum editionis ſecundae, editum a CAROLO A LINNÉ, Med. Doct. Med. et Botan. Prof. Vpſal. Hort. Botan. Praef. Brunſvigae, Impenſis Orphanotrophei, 1781. 30 plagg. 8.

Tandem aliquando prodiit diu promiſſum Supplementum, in quo tamen, ſi dicendum quod res eſt, plures ſperabamus nouas a LINNEO vel patre, vel filio, inſtitutas obſeruationes, naturam plantarum illuſtrantes. Si enim eas, quas iam alii viri Clariſſimi deſcripſerunt, excipias, numerus nouarum plantarum non adeo magnus, neque obſeruationes admodum copioſae remanebunt. Interim tamen et haec ſymbola, et praeſertim reductio ad Linneanas claſſes et ordines, iuſtificata etiam quae, vel immutata nomina plantarum, accepta erunt botanicis, praeſertim iis, qui nihil perfecti vel certi eſſe opinantur, niſi quod Linneorum nomine ſigillum veritatis certitudinisque obtinuerit. Videndum, quoad iugo boreali huic ſe ſubmittent botanici, atque rerum botanicarum aequi competentesque iudices. Fruſtra quaeſiuimus enim in hoc ſupplemento multas, fide deſcriptas, egregie depictas et in multis botanicis hortis cultas plantas, quae ignotae Editori eſſe non potuerunt, ſed quas conſulto, vt profeſſus eſt, omiſit, quoniam ipſam plantam non vidit: et maximus deſcriptarum plantarum numerus conſtat ex iis, quarum pauciſſimas botanici Europaei videbunt; nomina ſaltim ita ſunt egregie aucta.

Ex praefatione intelligimus, LINNEVM patrem etiamnum huius ſupplementi partem aliquam inchoaſſe

chioaſſe, atque plantas Surinamenſes nonnullasque Africanas ſuo quamque loco in ſyſtemate collocaſſe; quem quidem numerum LINNEVS filius quoad dimidium auxit, cum amici eius cum eo varias herbas ex peregrinis terris communicaſſent, herbariaque eidem commodaſſent. Tot exinde obſeruationes collegit, quot ne hoc opuſculo quidem exponere poſſet: etenim multum ei neceſſum fuit reſeruare donec noua editio Syſtematis adornabitur, atque haec multa ſpectant praecipue ad characteres et differentias, in quibus generum et ſpecierum etiam prius cognitarum magna ſit facta mutatio. At enim vero, ni fallimur, haec reſeruatio eſt illuſio lectorum: atque centenis illis mutationibus, ex nimia feſtinatione in edendis obſeruationibus, non diligenter ſatis inſtitutis, oriundis, confunduntur tirones et ſcientiae amoeniſſimae et vtiliſſimae ſtudium taedioſum fit et negligitur.

In claſſificatione vnam inſtituit LINNEVS filius mutationem excludendo polygamiam; etenim experientia docuit, lacerari hac claſſe genera naturalia, cultura variationes in ſexu effici, difficultatesque maximas oboriri, quando hermaphroditus ſiue abortiens flos ſe ſolum offerat.

Laudamus ceterum conſilium celeberrimi Auctoris, quo parcus fuit in generibus nouis formandis: recte enim ait, nimia genera inutiliter ſcientiam extendere, affines plantas ſeparare, et augere difficultates in iisdem dignoſcendis: hancque proponit regulam: botanicus in nouo genere formando inprimis exquirat eius affinitatem, ac ſtudioſe, quantum fieri poteſt, ſarta tectaque habeat genera naturalia, ſeque ſubiiciat naturae legibus. Nolumus item de generibus naturalibus nunc noſtram facere: nam lex parcitatis in formandis generibus nouis valebit etiam, ſi generica nomina in ſubſidium me-

memoriae retinenda esse dicimus, atque floris [illegible] versitatem characterem specificum intrare saepi[illegible] concedimus. Etenim numquam *perfecta* est co[illegible] venientia et similitudo in floribus variarum spec[illegible] rum vnius generis, quantumuis naturalis; sed s[illegible] per affinitas tantum, et *aliqua* similitudo.

Specierum magnum numerum indicauit E[illegible] tor: concedit tamen posse iis interesse plures, q[illegible] varietates tantum habendae sint, cum herbas ex[illegible] catas et saepius vnum, non satis bene conseruat[illegible] exemplar indagare potuit. Descriptiones bre[illegible] plerumque adposuit: sic quoque proprietates pl[illegible] tarum subiecit, praesertim eas, quae vtilitatem pl[illegible] tarum spectant. Nouam denique *Generum pl[illegible] tarum*, et systematis naturae regni animalis et veg[illegible] tabilis editionem meditatur, hisque operibus, q[illegible] sibi a patre hereditarii loco relicta esse ratur, [illegible] seciua sua tempora impendere proposuit.

Nonaginta et tria genera, eorumque charac[illegible] res praefationem sequuntur, quorum nos no[illegible] et omnino nouorum characteres indicabimus. [illegible] *Renealmia* (1andr. 1gyn.): *cor.* trifida, nectario [illegible] longo; cal. 1phyllus; anthera sessilis, nec[illegible] oppositа; bacca carnosa: in memoriam Cel. PA[illegible] LI RENEALMII. 2. *Myrosma* (1andr. 1gyn.): *cor.* 5partita, irregularis; *cal.* duplex, exterior 3[illegible] phyllus, interior 3partitus. 3. *Mniarum*: *cal.* [illegible] partitus superus; *cor.* nulla; *semen* vnum. FORST. gen.*) 4. *Thouinia* (2andr. 1gyn.): *cor.* in[illegible] 4petala; *cal.* 4partitus; *antherae* sessiles. In m[illegible] moriam Cl. THOUINII. 5. *Anciſtrum*. FORST. g[illegible] n. 2. 6. *Dilatris* (3andr. 1gyn.): *cal.* nullus; [illegible] [illegible]

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 236. vbi et[illegible] Lectores reliqua a FORSTERO dicta genera descr[illegible] pta inuenient.

ſexpetala, hirſuta; *filamentum tertium* reliquis minus; *ſtigma* ſimplex. 7. *Kyllingia* *). 8. *Fuirena* **). 9. *Pommereulla* (3andr. 1gyn.): *cal.* turbinatus, bivalvis: valuulae 4fidae, dorſo ariſtatae. In memoriam dominae DV GAGE DE POMMEREVLL, agroſtographae .10. *Anthiſtiria* (3andr. 2gyn.): *cal.* aequaliter ad baſin fiſſus in lacinias 4 aequales. 11. *Rottböllia* (3andr. 2gyn.): rachis articulata, teretiuſcula, in pluribus filiformis; *cal.* ouato lanceolatus planus, ſimplex ſ. bipartitus; floſculi alterni in rachide flexuoſa. 12. *Hydrophylax* (4andr. 1gyn.): *cor.* infundibuliformis; *cal.* 4partitus; *fructus* anceps, monoſpermus. 13. *Bankſia* (4andr. 1gyn.): amentum ſquamatum; *cor.* 4petala; *anth.* in cauitate laminarum ſeſſiles; *capſula* biualuis, *ſemen* bipartibile. In memoriam Illuſtriſſimi IOH. BANKS. 14. *Hartogia* (4andr. 1gyn.): *petala* 4, patentia; *cal.* 5fidus; drupa ouata, diſperma. 15. *Embothrium*: FORST. gen. n. 8. 16) *Gomozia* (4andr. 2gyn.): *cor.* campanulata, 4fida, ſupera; *cal.* nullus; *bacca* bilocularis. 17. *Virecta* (5andr. 1gyn.): *cal.* 5phyllus, dentibus interiectis; *cor.* infundibuliformis; *ſtigma* bipartitum; *capſula* 1locularis. 18. *Sheffieldia*: FORST. gen. n. 9. 19) *Retzia* (5andr. 1gyn); *cor.* cylindrica, extus villoſa; *ſtigma* bifidum; *capſ.* 2locularis. In memoriam ANDR. IOAN. RETZII. 20. *Epacris*: FORST. gen. n. 10. 21. *Ignatia* (5andr. 1gyn.): *cal.* 5dentatus; *cor.* longiſſima; *drupa* 1locularis, polyſperma. 22. *Tektona* (5andr. 1gyn.): ſtigma dentatum; *drupa* ſicca, ſpongioſa, intra calycem inflatum; *nucleus* trilocularis. 23. *Eſcallonia* (5andr. 1gyn.): *fructus* 2locularis, polyſpermus; *petala* diſtantia, lingulata; *ſtigma* capitatum

*) ROTTBÖLL deſcript. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 231.
**) vid. ibid. p. 233.

tatum. In memoriam ESCALLONI, botanici Americes. 24. *Corynocarpus.* FORST. gen. n. 16. 25. *Argophyllum.* FORST. gen. n. 15. 26. *Gardenia* (5andr. 1gyn.): *Contorta. Bacca* infera, bi-4locularis, polyſperma. 27. *Melodinus.* FORST. gen. n. 19. 28. *Ruſſelia* (5andr. 2gyn.): *cal.* 5phyllus; *petala* 5, ſupera; *capſula* 1locularis, polyſperma. In memoriam ALEX. RVSSEL, peregrinatoris Aleppenſis. 29. *Coproſma.* FORST. gen. 69: 30. *Cuſſonia* (5andr. 2gyn.): petala 5, trigona; *margo receptaculi* dilatatus in calycem 5dentatum. In memoriam Celeberrimi CVSSON, qui vmbellatarum familiam illuſtrandam ſibi ſumſit. 31. *Semecarpus* (5andr. 3gyn.): *cor.* 5petala; *drupa* cordata, celluloſa, 1ſperma. 32. *Commerſonia.* FORST. gen. n. 22. 33. *Maſſonia* (6andr. 1gyn.) *nectarium* inferum; *cor.* 6petala, nectario inſerta. In memoriam FRANC. MASSON, peregrinatoris botanici in America celeberrimi, qui omnia canarienſia editori miſit. 34. *Gethyllis* (6andr. 1gyn.): *cal.* nullus; *cor.* ſupera, 6partita; *bacca* clauata, radicalis, 1locularis. *Papiria* THVNBERGII *Act. Lund.* 39. *Phormium.* FORST. gen. n. 24. 36. *Ehrharta* (6andr. 1gyn.): *Gramen.* vid. THVNBERGII deſcriptionem in *Actis Holmienſis academiae* ann. 1779 p. 216. In memoriam Cl. FRIDERICI EHRHART, Helueti, cui plura deberi ſe fatetur editor, et qui *curam typographicam* huius libri in ſe ſuſcepit. 37. DVROIA (6andr. 1gyn.): *cal.* ſuperus, cylindricus, truncatus, *limbus* 6partitus; *filamenta* nulla; *pomum* hiſpidum. In memoriam Cl. IO. PHIL. DVROI, auctoris obſeruationum botanicarum et horti Harbeccenſis *). 38. *Falkia* (6andr. 2gyn.): *cal.* 1phyllus; *cor.* 1petala; *ſemina* 4. In memoriam IO. PETRI FALK, Sueci, profeſſoris Petropolitani

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 544. Vol. XX. p. 219

tani. 39. *Gahnia.* FORST. gen. n. 26. 40. *Diſandra* (7andr. 1gyn.): *cal.* 7phyllus; *cor.* 7partita, plana; *capſula* bilocularis. 41. *Aponogeton* (7andr. 4gyn. *): *Amentum*; *cor.* nulla; *capſulae* triſpermae. 42) *Codia.* FORST. gen. n. 30. 43. *Haloragis.* FORST. gen. n. 31. 44. *Myroxylon* (10andr. 1gyn.): *cal.* campanulatus; *petalum ſuperius* reliquis maius; *germen* corolla longius; *legumen* 1ſpermum. 45. *Inocarpus.* FORST. gen. 33. p. 36.
46. *Dodecas* (12andr. 1gyn.): *cal.* ſemiquadrifidus, corollifer, ſuperus; *cor.* 5petala; *capſula* unilocularis, *calyce* connata **). 47. *Visnea* (12 andr. 3gyn.): *cor.* 5petala, *cal.* 5phyllus inferus; *ſtigmata* 3; nux 2-3locularis, ſemiinfera. In memoriam Dni VISNE, Portugalli. 48. *Tacca.* FORST. p. 37.
gen. 35. 49. *Pallaſia.* Pterococcus PALLASII ***). p. 38.
50. *Sonneratia* (20andr. 1gyn.): *cal.* 6fidus; *petala* 6, ſubulata; capſula multilocularis, ſucculenta; loculis polyſpermis. In memoriam SONNERATII, qui cryptogama ad editorem miſit. 51. *Ternſtrömia* (polyandr. 1gyn.): *cal.* 1phyllus, 5partitus; *cor.* 1petala, 5-6partita, globoſa, campanulata; *bacca* exſucca, bilocularis, eualuis. In memoriam TERNSTRÖMII, itinere in Chinam noti, dixit MVTISIVS. p. 39

*) Filamenta 6-12; germina 3-4. Ob numerum inconſtantem ſtaminum Heptandriae hoc genus inſeruit: bene quidem iuxta receptum ſyſtema, an vero nutu naturae?

**) Monet editor: forte *Iuſſieuae* ſpecies: cur igitur nouum et dubium genus? cum tamen genera ſint *certa* (vid. Philoſ. bot. p. 97. et 139.) neceſſe eſt, et ipſe editor parſimoniam in condendis generibus in praefatione promiſſus ſit. An ideo, vt facilior ſit mutatio in noua *Generum* et *Syſtematis* editione? Certe etiam nomine generico, minime legibus prudentioribus conueniente, et perinde omnibus plantis dodecandris aptó, carere facile poterit botanica.

***) vid. *Ei.* it. Vol. II. p. 738. t. S.

sivs. 52. *Alstonia* (polyandr. 1gyn.): *cal.* inf
rus, imbricatus; *cor.* 8-10fida; *laciniis* alterna
In memoriam CAR. ALSTON, Profeſſoris Edimbu
p. 40. genſis, dicta a MVTISIO. 53. *Myriſtica* (polyand
1gyn.): *bacca* carnoſa, 1ſperma; *membrana* re
p. 41. cularis ſicca, intra baccam et ſemen. 54. SPA
MANNIA (polyandr. 1gyn.): *cal.* 4phyllus; *co*
4petala, reflexa; *nectaria* plura, toruloſa; *capſ*
p. 42. angulata, 5locularis, echinata. In memoriam A
DREAE SPARMANN, Sueci celeberrimi. 55. *Va*
*lea* (polyandr. 1gyn.): *capſula* 2locularis; *cal.* 4-
phyllus; *petala* 4-5, trifida; *ſtigma* 4-5fidu
In memoriam VALLEI, ab ALLIONIO laudati, di
MVTIS. 56. *Fothergilla* (polyandr. 2gyn.): *ca*
indiuiſus, truncatus; *cor.* nulla; *germ.* bifidu
*capſula* bilocularis; *loculamenta* 2valuia. In me
p. 43. riam 10. FOTHERGILL, Angli. 57. *Brathys* (p
lyandr. 5gyn.): *cal.* 5phyllus, *petala* 5; *ne*
nullum; *capſ.* 1locularis, polyſperma. 58) *D*
*mys.* FORST. gen. 42. *Act. vpſ.* Vol. 3. p. 181. 5
p. 44. *Vnona* (polyandr. polygyn.): *cal.* 3phyllus, *co*
6petala; *baccae* plures, pedicellatae, 2ſperm
p. 45. 60. *Hemimeris* (2dyn. angioſp.): *cor.* rotata; *la*
*nia vna* maior, obcordata; *foſſula* laciniarum ne
rifera; *capſ.* 2locularis, loculo altero gibboſior
*Antirrhinis* affine genus. 61. *Millingtonia* (2dyn.
angioſp.): *cor.* longiſſima, limbo 4fido; *calycis* m
*go* reflexus; antherae partitae, vaginantes. I
memoriam MILLINGTONI, Angli. 62. *Thunberg*
(2dyn. angioſp.): *cal.* duplex, exterior 2phyllu
p. 46. interior multipartitus. In memoriam CAROL
PETRI THVNBERG, indefeſſi peregrinatoris bot
nici in caput bonae ſpei, et adiacentem Afric
partem, dein in Iauam, Iaponiam et Ceylonam, ob
ſeruatoris diligentiſſimi et inuentoris feliciſſim
qui editori plurimas plantarum deſcriptiones com
mun

municauit, et quarum deſcriptionem hiſtoriamque cum aliis multis, plane nondum cognitis, nec nominatis, ipſe inuentor publici iuris reddet. 63. p. 47. *Caſtilleia* (2dyn. angioſp.): *cal.* 1phyllus, tubuloſus, longitudinaliter hians; *cor.* ringens; *labium* inferius *glandulis* duabus, tubuloſis; *capſ.* 2locularis, diſſepimento oppoſito, polyſperma. In memoriam CASTILLEII, Botanici Gadenſis, dixit MVTIS. 64. *Amaſonia* (2dyn. angioſp.): *cor.* tubuloſa, *limbus* paruus, 5fidus; *nux* ouata, 1locularis. 65. *Aphyteia* (monadelph. 3andr. *Hydnora* THVNB. *Act. Holm.* 1775. p. 69. *). *Monogyna. cal.* magnus, infundibuliformis, ſemitrifidus; *petala* 3, fauci tubi calycis inſerta, illoque breuiora. 66. *Symphonia* (1adelph. 5andr.): 1*gyna*; *cor.* globoſa; *bacca* 5locularis. 67. *Aytonia* (1adelph. 8andr.): 1gyna; *cal.* 4partitus; *cor.* 4petala; *bacca* ſicca, 4angularis, 1locularis, polyſperma. In memoriam IO. AYTON, Auctoris Horti Keuenſis. 68. *Barringtonia* FORST. gen. 38. 69. *Guſtauia* (1adelph. polyandr.): 1*gyna; cal.* nullus, *petala* plura; *bacca* multilocularis; *ſemina* appendiculata. In memoriam GVSTAVI tertii, Regis Svecorum. 70) *Carolinea* (1adelph. polyandr.): *monogyna*; *cal.* tubuloſus, truncatus; *petala* enſiformia; *pomum* 5ſulcatum, 2loculare. In memoriam SOPHIAE CAROLINAE, Marchionis Badenſis, ob amorem plantarum clariſſimae. 71. *Dalbergia* (2adelph. 8andr.): *ſtam. filamenta* 2, apice 4fida; *fructus* pedicellatus, non dehiſcens, leguminoſus, membranaceo compreſſus, ſeminiferus. In memoriam CAROLI GVSTAVI DALBERG, Chiliarchae et equitis, Surinami degentis, et NICOLAI DALBERG, Regis Svecorum medici ordinarii, qui ambo botanices cultores Surinamenſia communicarunt.

p. 48. p. 49. p. 50. p. 51. p. 52.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 582.

p. 53. runt. 72. *Müllera* (2adelph. 10andr.): *pericarp.* elongatum carnoſum, moniliforme; *globulis* monoſpermis. In memoriam OTHONIS FRIDERICI MÜLLERI, viri de ſcientia naturali et botanica meritiſſimi. 73.

p. 54. *Ambroma* (polyadelph. 5andr.) *pentagyna*: *caps.* 5locularis, 1valuis, apice dehiſcens; *ſemina* reniformia, *receptaculo* hirſuto. *Obſeru. Flos Theobromae, praeſertim nectariis, fructus Hibiſci.* 74. *Barnadeſia* (ſyng. polyg. aequal. capitat.) *cor.* radiata; *cal.* nudus, imbricatus pungens; *pappus* radii plumoſus; *diſci* ſetoſus, retrofractus. In memoriam

p. 55. botanici Hiſpanici BARNADEZ dixit MVTIS. 75. *Vnxia* (ſyng. polyg. ſuperfl. radiat.) *recept.* nudum planum; *pappus* nullus; *cal.* 5phyllus, *foliolis* ouatis. Flores radii et diſci quinque. 76. *Mutiſia*

p. 57. (Syng. pol. ſuperfl. rad.): *rec.* nudum; *pap.* plumoſus; *cal.* cylindricus, imbricatus; *corollulae radii* ouali-oblongae; *diſci* trifidae. In memoriam IOSEPHI CORLESTI MVTIS, Americes ſummi botanici, qui hiſtoriam plantarum Americanarum

p. 58. imprimis palmarum pulcherrimam parat. 77. *Iungia* (Syng. polyg. ſegreg.): *rec.* paleaceum; perianth. commune, triflorum; *floſculi* tubuloſi, bilabiati; *Labio exteriori* ligulato; labio interiori 2partito. In memoriam IOACHIMI IVNGII, botanici

p. 59. ſui aeui meritiſſimi. 78. *Diſa* (gynandr. 2andr.): *Spatha* 1valuis; *petala* 3, tertium minus, 2partitum, baſi gibboſum. 79. *Forſtera. Act. vpſ.* V. III. p. 184. In memoriam IO. REINHOLDI FORSTE-

p. 60. RI, patris et GEORGII FORSTERI, filii. 80. *Scopolia* *) (gyn. 8andr.): *cal.* 2phyllus, multiflorus; *cor.* 4fida; *antherae* connatae in duplici columna, quarum altera ſupra alteram poſita. In memoriam Cl.

*) At quarta haec iam eſt planta, quae per aliquod tempus hoc nomine generico fuit inſignita: vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 247. Quousque tandem pro-

Cl. 10. ANTONII SCOPOLI. 81. *Artocarpus.* FORST. gen. n. 51. 82. *Phyllachne* FORST. gen. 58. 83. *Caſuarina* FORST. gen. 52. 84. *Aegopricon* (monoec. 1andr.) *mas: amentum, cal.* 3fidus; *cor.* nulla: *fem.* flores ſolitarii; *cal. cor.* vt in mare; *ſtyli* 3, *bacca* 3cocca. 85. *Pandanus* RVMPH. *Athrodactylis* FORSTERI gen. 75. dioeciae monandriae inſeritur. 86) *Maba.* FORST. gen. 61. 87. *Montinia* (Dioec. 4andr.) *mas: cal.* ſuperus, 4dentatus; *petala* 4. *femina: calyx* et *coroll.* vt in mare *fil.* ſterilia, *ſtylus* bifidus, *capſ.* oblonga, bilocularis. In memoriam LAVR. MONTIN, Sueci. 88. *Margaritaria* (dioec. 8andr.) *mas*: *cal* 4dentatus, *petala* 4. *fem. cal.* et *cor.* vt in mare, ſtyli 4-5, *bacca* cartilaginea, 4-5cocca. 89. *Euclea* (2oec. 12andr.) p. 67. *mas*: *cal.* 5dentatus; *cor.* 5petala. *ſtam.* 15. *Femina*: *cal.* et *cor.* vt in mare; *germ.* ſuperum, *ſtyli* 2, *bacca* 2locularis. 90. *Hedycarya.* FORST. gen. 64. 91. *Zamia* (Filix) *mas: Strobilus* ſquamis ſubtus polline tectis. *Fem. ſtrobilus* ſquamis in vtroque margine drupa ſolitaria. Aut haec planta non pertinet ad Filices, aut character male eſt indicatus. 92. *Rupinia*, *Alga*, quae FORSTERO gen. 74. *Aytonia* dicitur. 93. *Mauritia.* Palma. Maſculos flores p. 70. tantum deſcribit, in amento ſeſſili diſpoſitos: *cal.* 1phyllus, cyathiformis, *cor.* 1petala, 3partita; filam. 6. Numerus igitur generum Linneanorum eſt 1436.

Nouarum ſpecierum i. e. illarum, quae in LINNEI ſyſtemate prius nondum fuerunt nominatae, copia ad 1403 accedit, quarum nomina et deſcriptiones nos per inſtituti rationem repetere non poſſu-

 mus.

progredietur temeraria et arbitraria nominum genericorum immutatio? Itane a chao, in quod botanice recidere videtur, reſeruabitur, an potius in illud praecipitatur?

mus. Sufficiat igitur hic eas indicare, quas
aliis nominibus inſigniniuerunt, et quae vſu medi-
co vel oeconomico vel charactere ſingulari ſunt
p. 79. inſignes. *Renealmiae exaltatae*, quae eſt Globba
ſylueſtris RVMPHII *amb. Vol. VI. p.* 140. *t.* 62. 63.
p. 90. fructus conditus placet incolis Surinami. Bacca
illae pedicellatae, quae in officinis pharmaceuticis
et culinaribus nomine *Cubebarum* notiſſimae ſunt,
ex planta Jauae in ſyluis naſcente veniunt, eaque
*Piper Cubeba*, foliis oblique ouatis ſ. oblongis ve-
noſis acutis, ſpica ſolitaria pedunculata oppoſitifo-
p. 135. lia, fructibus pedicellatis, dicitur. *Conuoluulus ſe-
parius*, fruticoſus, erectus, glaber, ramis virgatis,
foliis ſeſſilibus linearibus, racemo terminali, pedun-
culis ſubtrifloris, in Barrancas circa oppidum St.
Crux naſcens planta, illic Lignum Rhodium habe-
tur: at, etſi raſura huius ligni ſpargat odorem ro-
ſaceum et ſaporem habeat acriuſculum, tamen
quaerit Editor, an verum lignum Rhodium offi-
p. 144. narum? *Pſychotria emetica*, herbacea, procum-
bens, foliis lanceolatis glabris, ſtipulis extrafoliacei
ſubulatis, capitulis axillaribus pedunculatis pauci-
floris; copioſe ſub temperie calidiſſima Americae
ſeptentrionalis in prouincia Gironenſi naſcens, figu-
ris MARGRAVII (*braſ. p.* 17.) et PISONIS, (*braſ.
p.* 101.) quam de *Ipecacuanha* reliquerunt, valde ſi-
milis eſt, vt fere ſibi perſuadeat Cl. Editor, hanc
illorum eſſe Ipecacuanham: adiuncta etiam MV-
TISII relatio, empiricum quendam, qui ſe eandem
plantam collegiſſe in Simiti, vbi copioſe creſcat, et
vnde ex Mompoxia venalis fiat in Europam, pala-
aſſerentis, idem videtur confirmare. Ex florente
ſpecimine factam deſcriptionem Mutiſianam egre-
p. 148. giam eſſe fatendum eſt. *Strychnos potatorum*, in-
ermis, foliis oppoſitis ouatis petiolatis acutis, pani-
culis verticillatis, in montoſis ad Madraſs habitans,
fru-

fructum praebet ſapore primum dulcem, poſtea amarum et adſtringentem: qui quidem fructus immaturus ſale et aceto conditus Bengalae ſub nomine Atſchiar in tabernis venditur, etiam maturus, et praeſtat qualitatem ſingularem aquas purificandi, illis in locis valde neceſſariam, vbi nulla alia datur aqua, quam argillacea et calcarea. Aqua recepta in vaſculo fictili, hac nuce trito, intra pauca momenta praecipitatur et puriſſima euadit. Indiae botanici contendunt Strychnon colubrinam non eſſe diuerſam a S. Nuce vomica. Praeterea notare conuenit, ligna colubrina vulgo appellari apud Indos omnia illa ligna, quae in pocula tornata aquam infuſam cito pura amaritie impraegnant, eaque antidota putari. Hinc igitur in officinis noſtris pharmaceuticis ligna diuerſa nomine ligni Colubrini inveniri interdum maioris, interdum nullius efficaciae. *Ignatiam amaram* matrem dicit Cl. Editor medicamenti magnae virtutis, quod in pharmacopoliis nomine Fabae ſancti Ignatii cognitum in India quotidiano eſt in vſu, in Europa autem rariſſime adhibetur. Quod medicamentum ſi verum, neque aetate, neque inſectis perditur, ſed vis permanet eadem. Rite applicatum infallibile Indis creditur in omni ventriculi malo, febribus intermittentibus et exacerbantibus, morbis euacuatoriis ab atonia ortis, morbis ſoporoſis, cet. Nuclei eandem vim venenatam, actiones vitales animalium ſuffocandi, ac nux vomica habent, eademque doſi Feris letales ſunt. *Semecarpus anacardium*, ſ. Anacardium primum BAUH. pin. p. 511. praeſtat verum Anacardium orientale officinarum. Succus diploës ad lintea ſericea, bombycina, litterarum notis nigris nunquam delendis inſignienda vſurpatur. Haec nigrities adeo inhaeret, vt ſapone artificiali vel ſalibus detergi nequeat, lintea tamen non corrodit,

p. 149.

p. 182.

p. 205. rodit, quamuis vt cauſticum in cute agat. Ex *Aloes ſpicatae* ſucco optima Gummi-reſina Aloes paratur, ex reliquis ſpeciebus vilior. *Duroiae Eriopilae* fructus bene ſapidus, et pro menſis Surinamen-
p. 210. ſium gratus. *Berberidis ilicifoliae* lignum incolis in Tierra del Fuego ob magnam elaſticita-
p. 216. tem ad arcus in vſu eſt. *Amyris ambroſiaca*, quae eſt *Icica* MARCGRAFII *), tota odoratiſſima, detruncata fundit balſamum album, odoratiſſimum, cuius vſus eſt in dyſenteria, pro doſi drachma vna in vino rubro. Fructus eiusdem ruber, pulpa viſcoſa, odore et ſapore balſamico, quae indureſcit in reſinam griſeam, ad ſuffimenta vtilem. Praeter ea demonſtrat Cl. ROVELLE apud AVBLETIVM, reſinam *de Coumier* ex hac arbore ortam eſſe, putatque, Ambram griſeam ſuccum reſinoſum huius, qui per terram colatus tandem aqua marina in ambram transformetur. Quae quidem cum et a RVMPHIO **) ita proponantur, Cl°. Editori confirmare videntur ſententiam DIOSCORIDIS et PLINII, qui iam olim ambram vel gummi, vel reſinam arboris quodam mo-
p. 233. do mutatam haberent. *Balſami peruuiani*, cuius originem LINNÆVS pater adeo deſiderauit ***), arbor ab acutiſſimo et indefeſſo botanico MVTIS detecta eſt, diciturque *Myroxylon peruiferum*, eſtque eadem planta, quae ab HERMANNO (*mex. p. 51.*) Hoff-

*) vid. EIVS *brafil.* p. 592. et AVBLET. *guian.* Vol. 1. p. 337. t. 130.

**) vid. Eius Herbar. amboinenſe. Vol. 2. p. 164

***) At nos ne cogitare quidem poſſumus, qua ratione Editor in adnotatione ſubiecta opinatus ſit, inventa ab aliis vera huius balſami origine, aucta futura fuiſſe inuenta LINNEI patris. Etenim, qui ſecum ab aliis communicatas obſeruationes et inuenta typis mandari curat, is quidem, quantum nobis iudicare licet, inuentoris nomen haud meretur. Illud difficile, hoc nihil facilius. *Suum cuique.*

*Hoitziloxitl* dicta, iam depicta traditur, et quam PISO (*braſil.* 57. 119.) *Caburcibam* nominat. Cortex *Simarubae* officinarum eſt cortex radicis *Quaſſiae Simarubae*. Barbari vtuntur decocto huius amaro purgante in febribus et diarrhoeis curandis. Ex his cognitionem huius corticis habuerunt Europaei, quo morbos mox dictos et dyſenterias facile curarunt. *Quaſſiae amarae* figuram floris veram in diſſertatione de eadem dediſſe LINNEVM patrem monet filius; ramulum autem cum foliis ad aliam pertinere. Addit magnum huius arboris remedium ex ligno radicis ad nos veniſſe, iam vero euiluiſſe, cum lignum vile debile *ramulorum* aduehatur. *Aphyteia Hydnora* *) cruda et cineribus aſſata editur ab Hottentotis, eſtque in deliciis vulpium et viuerrarum. Ex relatione Cl. FORSTER, filii, ad *Barringtoniae ſpecioſae* deſcriptionem haec adduntur: noctu flores aperit ſponte deciduos, quos iam primo ſolis ortu amittit; verum et ab auiculis roſtro auulſi flores late ſparguntur, inde terra ſtaminibus ſanguineis conſita eſt, pulcherrimae ſtragis veſtigiis: de vi nuclei huius arboris piſces inebriandi ſupra diximus **). *Guſtauiae auguſtae*, quae eſt *Iaparandiba* PISONIS (*braſ.* 121. *Marcgr.* 109.), et *Pirigara* AVBLETI (*guian.* p. 486. t. 192. 193.), flores lilii odorem ſpargunt; lignum vero foetidiſſimum, etiam poſtquam ſiccatum eſt: Indis ad circulos ligneos in vſu eſt. *Carolineae principis*, quae apud HERNANDEZ (*mexic. p.* 68.) *Xiloxochitl*, et ab AVBLETIO (*guian.* p. 725. *t.* 291. 292.) *Pachira aquatica* dicitur, ſemina eſculenta ſunt, ſed non multa edenda, niſi prius toſta: nam nimis flatu-

p. 234.

p. 235.

p. 312.

p. 314.



*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 582. et Diſſ. LINNEI patris de Aphyteia. Holm. 1777. in 4. p. 10. f. 1-6.

**) ibid. Vol. XXIV. p. 227.

p. 317. lenta. *Dalbergia Monetaria*, foliis ternatis, folio-
lis glabris ouatis, fructibus oualibus aueniis, re-
p. 319. nam dat, ſanguinem draconis aemulantem. *Pte-
rocarpus ſantalinus*, foliis ternatis ſubrotundis reto-
ſis glaberrimis, petalis crenatis vndulatis, quoad
fructus et flores valde ſimilis eſt *Moutouchi ſuber-
ſae* AVBLETI (*guian. Vol. 2. p. 742. t. 200.*), in re-
quis autem recedere ab eadem monet Editor. Ce-
ius quidem arboris lignum verum eſſe Santalum
rubrum detexit Cl. KÖNIG, eſtque hoc ſaturate ru-
brum, venis atris immixtum, graue, denſum, po-
turam ſtatim admittens, in aqua ſubmergens, attrita
humido pulchre rubrum tingens. Succus eius-
dem ſpeciem ſanguinis draconis officinarum prae-
bet: nam plurima ligna Indica rubra reſinam ru-
bram, qualitate ſibi ſimilem transſudare obſerua-
Noſter, vt igitur officinalis haec reſina a variis ar-
p. 368. borum ſpeciebus colligatur. *Vnxia camphorata* de-
coctum aquoſum, interne ſudoriferum eximium,
et magnae virtutis in lumbagine difficili Surina-
menſium praebet: herba eiusdem ſicca externe,
p. 391. vbi tranſpiratio creditur impedita, adhibetur. *Sta-
be Rhinocerotis*, foliis triquetris adpreſſis, ramulis
tomentoſis cernuis, racemis proliferis, capenſi
planta, alimentum Rhinocerotis primarium iuxta
p. 393. THVNBERGII obſeruationem tradit. Lacteſcen-
tes, campanaceae et contortae fere omnes diureti-
cae et mundificantes praeſtantiores cenſentur, inde
p. 396. contra Siphilitidem laudantur. *Viola paruiflora*,
caulibus diffuſis debilibus polyphyllis, foliis ouatis
petiolatis ſerratis, floribus axillaribus ſolitariis; in
Americae meridionalis calidioribus regionibus a
MVTISIO inuenta, radices habitu virtuteque Ipe-
p. 397. cacuanhae ſimiles habere dicitur. *Violae Ipeca-
cuanhae* radicem iuxta quorundam relationem, ea
ipecacuanham albam officinarum notatur, matrem
p. 412. autem ipecacuanhae fuſcae non eſſe habendam. *Ar-
tocar-*

*tocarpi inciſi* pericarpia excorticata et aſſata vel cum ſyrupo cocta comeduntur. Fructus foecundi excorticati aqua cocti, vel integri, vel in fruſta diſſecti eduntur, vel nuces pericarpio exemto eodem modo ac Caſtaneae placent, quibus ſapore ſunt ſimiles. *Pandani odoratiſſimi*, quem FORSTERVS Athrodactylin dixit, arbor, et quidem maſcula tantum, odoris cauſſa colitur, quo ita abundat, vt vna alteraque ſpica ſatis ſit ad replendum cubile ſpatioſum halitu odorifero per longum tempus, ſi loco humido reponatur, ideoque incolae non curant arbores in teſtis plantatas, ſed magno pretio ſpicam emunt. *Hermatis giganteae*, foliis lanceolato-ouatis ſupra lanuginoſis, ſubtus tomentoſis integris, tomentum ex foliis deraſum inſeruit pro fomite in capite bonae ſpei, vt fomes Chinenſium e lana Artemiſiae paratus. Spinae *Mimoſae eburneae*, *latronum* et *cornigerae* inanes eſſe, vnde Formicae in illis domicilia ſua quaerant, quae ad leuiſſimam arboris concuſſionem cateruatim atque cum impetu ſpinis egreſſae, vndique dilapſae, formicinae inſtar pluuiae in proximum adſtantem cadant et mordeant, morſu, prunae inſtar, ardente, ex obſeruatione IACQVINI refertur, additurque harum Mimoſarum arbores in montoſis Indiae formare ſyluas impenetrabiles, ramis ſuis intime implexis et horridis ſpinis, inter quas tuta quaerunt latrones domicilia, animalia varia minora et aues. Ex *Mimoſa catechu*, neque ex *Areca Catechu*, vt quondam dicebatur, terra ſ. potius gummi-reſina Catechu officinarum paratur. *Dioſpyros Ebenum*, glaberrima, foliis oblongis vtrinque glaberrimis coriaceis venoſo-reticulatis, floribus axillaribus ſolitariis ſeſſilibus, praebet verum lignum Ebenum, obſeruantibus KOENIGIO et THVNBERGIO. Quod quidem lignum eſt graue, compactum, durum, verſus corticem album, ſed verſus

p. 425. p. 435. p. 439. p. 440.

centrum ſ. medullam nigerrimum, quae nigredo ſenſim occupat totum truncum. *Phallus Muſ-ſim* *), valua radicali, ſtipite pentagono, pileo acuto quinquepartito: laciniis conniuentibus: cito creſcit et totam vegetationem intra duodecim horas abſoluit, abſoluta flacceſcit et putreſcit. Est Chinenſibus edulis quidem, at raro, cum ſaepe venenatus et verminoſus reperiatur, ſed laudant, vt praeſtans remedium in vlceribus cancroſis, ſi tantum externe adhibeatur, ob quam efficacem vim In-
P. 453. colis notiſſimus. In capite bonae ſpei *Lycoperdi carcinomalis*, clauati, ſtipite cylindrico recto, pul-
P. 454. vis ad vlcera cancroſa adhibetur. *Cocos butyraceae*, inermis, frondibus pinnatis, foliolis ſimplicibus, quae eſt *Pindoua* PIS. *braſ. p. 62. cum fig.* nuces contuſas et ruditer contritas in aquam iniiciunt Americes incolae, vt earum nuclei lenta macerationе absque vlla ignis actione, vel expreſſione tandem ſoluantur. Butyrum aquae innatat, materia grauiore in fundem ſecedente. Triplici lotione omnis materies butyracea extrahitur, quae ſub gradu vigeſimo Thermometri Reaumuriani ſupra gradum congelationis conſiſtit inſtar butyri albidi, at ſub gradu vigeſimo tertio iam inſtar olei liqueſcit. Pulpa ſucculenta eſt valde mucilaginoſa et ſubdulcis, eaque porcis impinguandis inſeruit. Oleum Indis quotidiano in vſu eſt, et in culinari diaetetico, et medico: in Europaeis officinis pharmaceuticis recens ſemper valuit; rancidum vero nocuit.

His, quae medicos et oeconomos potiſſimum attinent, pauca phyſicorum botanicorum cognitionem ſpectantia de ſingularibus nonnullarum plan-
P. 89. tarum characteribus referamus. Atque ſic quidem *Thouinia nutans*, Zeylonenſis planta a THVNBERGO in-

*) vid. Nou. com. ac. petropol. Vol. 19. p. 373. t. 5.

inuenta, ſingularis eſt eo, quod ſtamen ſingulum combinat duo petala: *Anciſtrum ſanguiſorbae*, a FORSTERIS *A. anſerinaefolium* dictum et in nova Zeelandia inuentum, ariſtis calycinis luteis, glochidatis, ſ. hamis vulpium ſimilibus ſe diſtinguit. Stamina in *Moraeis* inferne connata ſunt, vt in Monadelphis: genus hoc itaque *Siſyrinchio* proximum et forte non ſeparandum. *Scirpus globiferus*, culmo tereti nudo, vmbella terminali compoſita: capitulis globoſis ex ſpiculis pluribus arcte congeſtis, in Teneriffa a FRANC. MASSON inuentus, globulis diſtinguitur, qui circa baſin emittunt nouos radios globiferos, iterum ſimiliter diuidendos, vnde infloreſcentia refert vmbellam compoſitam vmbellis, baſi proliferis. *Pommereulla Cornucopiae*, Indicum a KÖNIGIO transmiſſum gramen, flore inſtruitur, figura ſingulari florem caryophyllaeum plenum referens, ſ. potius inſtrumentum luſorium *Volang* dictum. *Tillaeas* inter et *Craſſulas* tantam eſſe ait Editor affinitatem, vt praeter numerum partium vix differentia inuenienda. *Gethylides* omnes habent faciem *Colchici*, ſed corolla monopetala et bacca facile dignoſcuntur: flores fructum proferunt absque foliis; bacca gratiſſimi eſt odoris et bene ſapit. *Melanthium monopetalum*, foliis cucullatis lanceolatis, in capite bonae ſpei a SPARRMANNO inuentum, differt quidem a reliquis corolla monopetala; haec tamen non ſufficit ad genus ſeparandum, cum variet proportio tubi in hac, vt in *M. Sibirico*, et quod acu facile findatur in lacinias. *Sparmanniae Africanae* flores ante floreſcentiam ſunt pedunculis deflexis, ſub floreſcentia eriguntur pedunculi, at flores nutant; peracta floreſcentia eriguntur flores pro germine maturando, eodem, quo in *Dodecatheo* modo: eſt quaſi a pluribus generibus compoſita, nam herba ſimilis *Triumfettis*

p. 101. p. 104. p. 106. p. 130. p. 198. p. 213. p. 266.

*fettis* ſ. *Commerſoniae* exactius, pedunculus et inflo-
reſcentia *Geraniorum*, fructus *Hibiſci*, at aculeatus
p. 269. vt in *Geis.* LINNAEVS pater *Drimidem Granadenſem*, pedunculis axillaribus elongatis, trifidis, piſtillis octo, nouum conſtitui genus voluit, quam filius, quum *Drymidi Winteri* admodum propinquam videret, cum ea vni ſubmiſit generi, monuitque, numerum quidem partium, ſed non naturam hanc a ſe ſe-
p. 300. ctam coniunctionem negare. *Cleome felina*, polyandra, hiſpida, foliis ternatis cuneiformibus ſtrigoſis, floribus axillaribus ſolitariis pedunculatis, ſiliquis linearibus compreſſis: ex Zeylona a KÖNIGIO miſſa, ſingularis eſt foliis hiſpidis; pilis baſi valde dilatatis, rigidiſſimis, foliis adpreſſis, ad apicem verſis, vt exacte his linguam referant felinam.

p. 316. *Dalberga Lanceolaria*, foliis pinnatis, foliolis ellipticis ſubtus piloſis, fructibus lanceolatis, in Zeylona KÖNIGII ſollertia inuenta, fructum praebet membranaceum, qui figura lanceolae inſignis, baſi attenuata, non dehiſcit, neque cultro in duas epidermides diuidi poteſt, longitudinem digiti aequat, aut minor eſt: in huius membranulae medio ſemen vnum, compreſſum ouale immiſſum eſt: ſi ſemina bina ſunt, haec ſpatio remota, per longitudi-
p. 329. nem poſita. *Müllera moniliformis* (vid. MER. *Surin. t.* 35), a DALBERGO Surinami inuenta, floribus ſparſis, nutantibus magnitudine *Cytiſi Laburni* ei praedita; floreſcentia peracta cadunt petala permanente calyce, excreſcit germen, in flore viſibile, quod tamen in fructum non mutatur; ſed excreſcunt, germine elongato, quaſi e receptaculo, globuli plures, concatenati, compreſſiusculi, (quorum nullum veſtigium in flore) magnitudine primum ſemina Erui, et perfecta aemulantes Pruna maiora. Globuli hi exacte globoſi, glaberrimi, a receptaculo petiolati. Ex apice alterius globuli exit petiolus breuis

breuis, qui alterum combinat, et ſic vltra. Nulla ſutura in globulis viſibilis, nec finduntur, vt in Leguminibus; ſed fructus ſubſtantia craſſa, duriori conſtat, in cuius medio cauitas, vt in prunis oblongis, repleta ſemine vno, reniformi, magnitudine *Phaſeoli* maioris, hilo affixo angulo, vt in leguminibus. Mirae ſtructurae certe hic fructus. Raro in racemo conſtat pericarpium. *Sophoris* multum ſimilis eſt *Müllera*, at illis adſociari negant ſtamina perfecte diadelpha, et fructus non leguminoſus h. e. longitudinaliter rumpens. In *Hedyſaro veſpertilionis*, foliis ſimplicibus lunatis, lobis retrofalcatis, racemo terminali, leguminibus retrofractis in calyce inflato incluſis; in regno Cochin China a 10. DE LOUREI inuento, peracta floreſcentia clauduntur dentes calycis et hic more Phyſalidis inflatur, vnde premente piſtillo apicem flectitur per articulos tenerum germen. Plantam, cuius ſingularem in foliis motum iam ſupra*) ex obſeruatis POHLII deſcripſimus, ſeminibus a Cel. FORSTERO Editori communicatis, hic etiam ad *Hedyſarum* refert, *gyrans*, foliis ternatis nominans; flores tamen neque LINNAEVS vidit, eadem ceterum phaenomena in ſingulari hac planta obſeruauit, quae POHLIVS iam diu indicauit. *Chryſocomas* et *Eupatoria* difficillime diſtingui obſeruatur, niſi calyce cylindrico et hemiſphaerico: nam rariſſime in *Chryſocoma* pappus piloſus absque dentibus, et rarius in *Eupatorio* piſtillum elongatum et floſculis longius. *Pteroniae* ſpeciebus 14, in capite bonae ſpei a THVNBERGIO inuentis, hanc ſubiungit Editor obſeruationem; habitum *Pteroniarum* ſingularem eſſe et proprium: varias ſpecies *Pteroniae* eſſe receptaculo nudo, vt ideo non *Pteroniae*, ſed *Chryſocomae* eſſe deberent: Aut ergo nouus eſt character genericus detegendus, aut genus

p. 331.

p. 332.

p. 354.

p. 356.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 305.

p. 366. nus, quamuis naturale, lacerandum. *Xeranthemi* ſpecies colore calycis et elongatione pedunculorum ſaepe ludere ait, itaque cauenda ſpecierum multiplicatio. *Coreopſis baccata*, foliis ouatis ſerratis, ſeminibus bacciformibus, Surinami a DALBERGO lecta, refert exacte fructum *Rubi* figura, acinis
p. 391. baccatis, globoſis. *Stoebe Gomphrenoides*, foliis lanceolatis imbricatis appreſſis, capitulo terminali ſeſſili; et *St. Gnaphaloides* ſunt ambae ſingulares foliis lanceolatis, extus conuexis glabris, intus cana-
p. 393. liculatis albotomentoſis. *Lobelia Columneae*, foliis oblongis obtuſis crenatis glaberrimis, ſubtus tomentoſo albis, caule corollisque puluerulentis; et *Lobelia ferruginea*, caule villoſo, foliis lanceolatis ſerratis acutis, anaſtomoſibus venarum vtrinque tomentoſo-ferrugineis, genitalibus elongatis; ambae ſingulares ſunt villoſitate, qua partes earum herbae et
p. 410. floris teguntur: ſunt quaſi Echini radiati ſ. piloſi. *Dionaea muſciuori*, foliis haſtatis, pedato-ſeptemfidis *), ſpatha intus ſpadiceque piloſa, flos cadaueris inſtar foetet, quo alliciuntur Muſcae, vices cupidinis in clauſo flore agentes, hae vero deceptae exitum quaerentes, ſed pilis reuerſis clauſum, fruſtra; ita captae in flore pereunt. In *Margaritaria nobili* mas a femina multum differt: mari enim neque folia alterna, neque calyces plani, ſed tubuloſi; neque ſtyli quatuor ſ. quinque, vt in femina, ſed vnus, longior, ſetaceus, abortiens. *Mauritia flexuoſa*, palma, ſingularis et ſtipite arboris aphyllo: rami eiusdem ſunt anguſti, flexuoſi, glabri: articulis breuibus, ſurſum incraſſatis; ſubrecuruatis, terminatis vaginis amplexantibus: geniculo cyathiformi acutiori: ex alis horum exeunt per totum caulem amenta ſtrobili-
for-

*) in differentia dicit LINNEVS, *pedatifidis*; ſed nomen hic terminus eſt contra analogiam, atque maxime obſcurus.

formia, bifaria, patentiſſima, ſeſſilia, baſi ſquamis binis, maioribus, erectis ſurſum falcatis.

Proponamus denique eas mutationes, ſatis, vt videtur, arbitrarias, quae nomenclaturam botanices concernunt, ita tamen, vt iudicium de iisdem criticis botanicis relinquamus. Atque primum quidem eas plantas indicabimus, quarum nomina generica Editori immutare libuit. Ita

Büchnera *canadenſis Syſt. veg.* 13. *p.* 478. dicitur Verbena *Aubletia**). p. 86.

Schoenus *aculeatus. ibid.* — Anthoxanthum *aculeatum.* p. 89.

Siſyrinchium *viperatum.* — Gladiolus *montanus.* *Pluk. phyt.* 224. *f.* 8. p. 95.

Iria *longifolia. Iacq. hort.* *III. p.* 47. *t.* 90. — Moraea *flexuoſa.* p. 100.

Wachendorfia *vmbellata.* *Syſt. veg.* 13. *p.* 80. — Dilatris *vmbellata.* p. 101.

Schoenus *coloratus. ibid.* *p.* 82. — Kyllinga *monocephala.* p. 104.

Schoenus *niueus. ibid.* *p.* 81. — Kyllinga *triceps.*

Aegilops *incuruata. ibid.* *p.* 762. — Rottbölla *incuruata.* p. 114.

Panicum *dimidiatum. ibid.* *p.* 114. — Rottbölla *dimidiata.*

Aegilops *exaltata. ibid.* *p.* 762. — Rottbölla *corymboſa.*

Secale *proſtratum. Pallas* *it. I. p.* 485. — Triticum *proſtratum.*

Donatia *faſcicularis.* *Forſt. gen.* 5. — Polycarpon *magellanicum.* p. 115.

Crataeogonum *amboinicum maius. Rumph. amboin. VI. p.* 25. *t.* 10. — Spermacoce *articularis.* p. 119.

Cratae-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 99.

p. 120. Crataeogonum *amboin.* dicitur Spermacoce *ſtrict. minus ibid.*

p. 126. Blackburnia *pinnata.* — Ptelea *pinnata.* *Forſt. gen. 6.*

p. 130. Bugloſſum *chium. Tourn. cor. p. 6.* — Lithoſpermum *tenuifolium.*

Rindera *tetraſpis. Pall. it. I. p. 486.* — Cynogloſſum *Rindera.*

p. 133. Bugloſſum lanuginoſum — Tournefortia *argentea.* *Rumph. amb. VI. p. 119. t. 55.*

p. 161. Fuſanus *compreſſus. Syſt.* — Theſium *colpoon veg. ed. 13. p. 765.*

p. 162. Thunbergia *capenſis. Act.* — Gardenia *Thunbergia.* *Holm. 1773. p. 282.*

p. 163. Muſſenda *formoſa. Syſt.* — Gardenia *Muſſenda veg. 13. p. 182.*

p. 165. Rothmannia *capenſis Act.* — Gardenia *Rothmannia.* *Holm.* *).

p. 172. Salſola *oppoſitiflora Pallas it. II. 735.* — Chenopodium *oppoſitifolium.*

p. 176. Centella *glabrata. Syſt.* — Hydrocotyle *glabrata.* *veg. 13. p. 708.*

Solandra *capenſis. ibid.* — Hydrocotyle *Solandra.* *p. 767.*

p. 177. Iaſione *capenſis. Act. Vpſ.* — Aſtrantia *ciliaris.* *III. p. 187.*

p. 181. Aciphylla *ſquarroſa.* — Laſerpitium *Aciphyllum.* *Forſt gen. 68.*

p. 197. Helonias *minuta. Syſt.* — Hypoxis *minuta.* *veg. 13. p. 288.*

p. 204. Hyacinthus *orchioides.* — Phormium *Hyacinthoides.* *ibid. p. 277.*

p. 212. Nemolapathum *Ehrh.* — Rumex *Nemolapathum.* *phytophyl.*

Sau-

*) vid. ſupra p. 62.

Saururus *natans Syſt.* dicitur Aponogeton *mono-* p. 214.
*veg.* 13. *p.* 291. *ſtachyon.*

Skinnera *excorticata.* — Fuchſia *excorticata.* p. 217.
*Forſt. gen.* 29.

Acronychia *laeuis. ibid.* — Lawſonia *Acronychia.* p. 219.
*n.* 27.

Bankſia *Gnidia. ibid. n.* 4. — Paſſerina *Gnidia.* p. 226.

Bankſia *piloſa. ibid.* — Paſſerina *piloſa.*

Bankſia *proſtrata. ibid.* — Paſſerina *proſtrata.* p. 227.

Cuphea *viſcoſiſſima Iacqu.* — Lythrum *Cuphea.* p. 249.
*hort. II.**).

Pemphis *acidula. Forſt.* — Lythrum *Pemphis.*
*gen. n.* 34.

Pagapata. *Sonnerat. it.* — Sonneratia *acida.* p. 252.
*p.* 16.

Decaſpermum *frutico-* — Pſidium *decaſpermum.*
*ſum. Forſt. gen.* 37.

Meſpilus *canadenſis. Syſt.* — Pyrus *Botryapium.* p. 255.
*veg.* 13. *p.* 388.

Meſpilus *Amelanchier.* — Pyrus *Amelanchier.* p. 256.
*ibid.*

Meſpilus *arbutifolia. ibid.* — Pyrus *arbutifolia.*

Dicera *ſerrata. Forſt.* — Elaeocarpus *Dicera.* p. 266.
*gen.* 40.

Gymnandra *borealis.* — Bartſia *Gymnandra.* p. 278.
*Pall. it. III.* 710.

Nigrina *viſcoſa. Syſt. veg.* — Gerardia *Nigrina.*
13. *p.* 167.

Selago *Lychnidea. ibid.* — Erinus *Lychnidea.* p. 287.
*p.* 476.

Ebenus *capenſis. ibid.* — Spartium *Cytiſoides.* p. 320.
*p.* 545.

Liparia *oppoſita. ibid.* — Crotalaria *oppoſita.* p. 322.
*p.* 554.

Theo-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 295.

p. 341. Theobroma *auguſta.* dicitur Ambroma *auguſta.* *ibid p.* 341.

p. 342. Leptoſpermum *collinum* — Melaleuca *lucida.* *Forſt. gen.* 36.

Leptoſpermum *ciliatum.* — Melaleuca *villoſa.* *ibid.*

p. 343. Leptoſpermum *ſcopa-* — Melaleuca *ſcoparia.* *rium. ibid.*

Leptoſpermum *virga-* — Melaleuca *virgata.* *tum. ibid.*

p. 348. Kölpinia *linearis. Pall. it.* — Lapſana *Kölpinia.* *III.* 355.

p. 371. Cineraria *alpina Syſt. v.* — Senecio *alpinus.* 13. *p.* 636.

p. 396. Cyphia *bulboſa. Berg.* — Lobelia *bulboſa.* *cap. p.* 172.

p. 405. Orchis *burmanniana.* — Arethuſa *ciliaris.* *Syſt. veg.* 13. *p.* 674.

p. 434. Croton *Benzoe. ibid.* — Terminalia *Benzoin.* *p.* 721. *).

p. 443. Cycas *cafra. Thunb. act.* — Zamia *Cycadis.* *vpſ. II.* 284.

p. 447. Polypodium *caffrorum* — Adianthum *caffrorum.* *Syſt. veg.* 13. *p.* 788.

Polypodium *fragrans.* — Adianthum *fragrans.* *ibid. p.* 789.

p. 452. Aytonia *rupeſtris. Forſt.* — Rupinia *Lichenoides.* *gen.* 74.

Praeterea etiam quaedam plantae prius diuerſae creditae, et diuerſis generibus vel ſpeciebus ſub-

*) Eandem plantam IACQVINVS in *hort.* III. p. 51. *Terminaliam anguſtifoliam;* et AVBLETVS, (*guian.* *p.* 946. *t.* 359?) *Pameam guianenſem* nominat. quot nomina vni plantae!

ſubmiſſae, nunc in vnam plantae ſpeciem coniunctae ſunt: huc pertinet.

Moraea *iriopetala*, foliis gramineis, petalis tribus maioribus barbatis: cui, tanquam varietates, ſubmiſſae ſunt *Moraea iuncea*, et *M. vegeta*, *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 79. p. 100.

Anthiſtiria *ciliata* fuit Andropogon *quadriualue Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 758. et Andropogon *nutans. Mant. plant. p.* 303. p. 113.

Euonymo *europaeo*, tanquam varietas ſubiectus eſt *Euonymus verrucoſus* SCOPOLI carn. ed. 2. n. 268. p. 154.

Hydrocotyle *villoſa*, tomentoſa, foliis cordatis integerrimis tomentoſis ſ. villoſis: eadem eſt planta cum *Centella villoſa*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 708. et *Mercuriali afra*, *ibid.* p 746. p. 175.

Caſſine *capenſis*, ramulis tetragonis, foliis petiolatis ouato oblongis, retuſis, crenatis; eſt vna planta cum *C. capenſi*, et *C. barbara*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 243. p. 184.

Amaryllis *ciliaris*, ſpatha multiflora, corolla ſexpartita reflexa, foliis ciliatis; comprehendit *Amaryllides ciliarem Spec. plant. ed.* 2. *p.* 422. et *guttatam Syſt. veg.* 13. *p.* 265. et *Haemanthum ciliarem*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 261. p. 195.

Diſandra *proſtrata*, praeter plantam eiusdem nominis in *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 290. vna eſt ſpecies cum *Sibthorpia peregrina Spec. plant. ed.* 2. *p.* 880. p. 214.

Ad Dracocephalum *grandiflorum*, refertur etiam Dracocephalum *grandiflorum* et *altaienſe Syſt. veg.* 13. *p.* 454. LAXMAN *Act. petrop.* XV. p. 555. T. 29. f. 2. p. 274.

Sub Glycyrrhiza *aſperrima* leguminibus glabris? foliolis ellipticis cuſpidatis, caule hiſpido ſcabro; p. 330.

coniungitur *Glycyrrhiza aſpera Pall. it. I. p. 499. t. M. f.* 3. et *Gl. hiſpida* ib. III. p. 754. t. G. f. 1. 2.

p. 355. *Eupatorium altiſſimum Syſt. veg.* 13. *p.* 614. et *Ageratum altiſſimum Spec. plant. ed.* 2. *p.* 1176. vniuntur ſub Eupatorio *Ageratoide* foliis ouatis ſerratis petiolatis, caule glabro.

p. 415. *Croton haſtatum* et *Cr. vrens Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 721. dicuntur Tragia *cannabina* foliis tripartitis.

p. 416. Ad Ciccam *diſticham* refertur *Averrhoa acida, Syſt. veg. ed.* 13 *p.* 357. atque

p. 432. Spinifex *ſquarroſus* vnam plantam cum *Stipa ſpinifice Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 104. ſiſtit.

Nonnullae etiam plantarum ſpecies diuiſae ſunt

p. 327. in plures, e. g. *Orobi anguſtifolii* var. β. *Syſt. veg.* 13. *p.* 550. conſtituta eſt noua ſpecies, dicta: Orobus *caneſcens*, caule ramoſo, foliis biiugis linearibus,

p. 387. ſtipulis ſemiſagittatis ſubulatis. *Othonnae bulboſae* varietas β. *Spec. plant. ed.* 2. *p.* 1309. dicitur Othonna *pinnata*, foliis pinnatifidis; pinnis lanceolatis in-

p. 388. tegerrimis decurrentibus: atque *Othonnae bulboſae var.* γ. dicitur Othonna *linifolia*, herbacea,

p. 404. foliis linearibus marginatis gramineis. Ex *Serapide grandiflora* factae ſunt duae ſpecies, quarum altera Serapias *Xiphophyllum* bulbis fibroſis, foliis enſiformibus diſtichis, bracteis minutiſſimis, floribus erectis; nectarii labio obtuſo, petalis breuiore: altera Serapias *Lonchophyllum* bulbis fibroſis, foliis ouato lanceolatis, bracteis longitudine capſulae, floribus erectis; nectarii labio obtuſo petalis breuio-

p. 450. re, dicitur. *Lichen ericetorum* (ſtipitatus) *Syſt. veg. ed.* 13. p. 806. nominatur Lichen *Baeomyces*, leproſus, albicans, tuberculis ſtipitatis carneis: et *Lich. ericetorum* (ſeſſilis,) *ibid.* iam audit Lichen *Icmadophila*, leproſus, cinereus, tuberculis ſeſſilibus planis carneis.

In-

Ingens etiam eſt cohors plantarum, quarum nomina triuialia mutata ſunt: Ita enim

| dicebatur antea: | iam vero appellatur. | |
|---|---|---|
| Iuſticia *ciliata* a IAC- QVINO | — Iuſticia *ciliaris.* | p. 84. |
| Dianthera *bicalycata* a RETZIO | — Dianthera *malabarica.* | p. 85. |
| Ixia *vndulata* a BVR- MANNO | — Ixia *criſpa.* | p. 91. |
| Avena *capenſis* EIVS- DEM | — Avena *hiſpida.* | p. 111. |
| Exacum *pedunculatum* | — Exacum *album.* | p. 123. |
| *Syſt.* 13. | | |
| Exacum *ſeſſile. ib.* | — Exacum *cordatum.* | p. 124. |
| Ammannia *coccinea* | — Ammannia *octandra.* | p. 127. |
| ROTTB. | | |
| Embothrium *vmbellife-* *rum* FORSTERI | — Embothrium *vmbella-* *tum.* | p. 128. |
| Lyſianthus *alatus* AV- BLETI | — Lyſianthus *chelonoides.* | p. 134. |
| Conuoluulus *fruticoſus* PALL. | — Conuoluulus *ſpinoſus.* | p. 137 |
| Datura *inermis* IACQVI- NI. | — Datura *laeuis.* | p. 146. |
| Chenopodium *purpu-* *raſcens.* EI. | — Chenopod. *Atriplicis.* | p. 171. |
| Tulbagia *capenſis. Syſt.* *v.* 13. | — Tulbagia *cepacea.* | p. 194. |
| Gethyllis *afra. ibid.* | — Gethyllis *ſpiralis.* | p. 198. |
| Ornithogalum *reticula-* *tum* PALL. | — Ornithog. *circinatum.* | p. 199. |
| Weinmannia *pinnata.* | — Weinmannia *glabra.* | p. 228. |
| *Syſt.* 13. | | |
| Plinia *rubra ib. p.* 386. | — Plinia *pedunculata.* | p. 253. |
| Meſembryanthemum *Aitonis* IACQ. | — Meſembr. *papuloſum.* | p. 259. |

p. 267. Fothergilla *Gardeni Syſt.* — Fotherg. *alnifolia.* *v.* 13. *p.* 418.

p. 323. Crotalaria *capenſis.* — Crotalaria *incaneſcens.* IACQV.

p. 327. Orobus *pannonicus.* — Orobus *albus.* IACQ.

Cytiſus *nigricans.* PAL. — Cytiſus *Wolgaricus.* LAS.

p. 333. Hedyſarum *argenteum.* — Hedyſ. *argentatum.* *Syſt. v.* 13. *p.* 562.

p. 353. Cacalia *tomentoſa.* IAC. — Cacalia *albifrons.* QVINI

Cacalia *pinnatifida.* — Cacalia *bipinnata.* BERG.

p. 370. Senecio *rubens.* IACQV. — Senecio *ternuus.*

p. 406. Diſa *uniflora* BERG. — Diſa *grandiflora.*

p. 413. Carex *pulicaris Syſt. v.* 13. *p.* 703. — Carex *pſyllophora.*

Carex *cyperoideus. ib.* — Carex *cyperoides.*

Reſtant plura incerta, quae iam ipſe Editor Clariſſimus circa plantas plures adnotauit, vt taceamus ea, quae nobis talia videntur. Sed praetermittere ea neceſſe eſt: botanici enim ipſum librum lecturi ſunt, et botanophili his, quae recenſuimus, ſatis, vt opinamur, cognouerunt, quae maxime notatu digna hoc ſupplemento contineantur. Priusquam autem, quam commentario huic finem imponamus, ſingularem Editoris methodum tangamus, qua aliorum virorum meritiſſimorum obſeruata ſilentio tranſeat, quantumuis cum ſuis conueniant: ſcilicet ideo, vt videtur, vt ipſius habeantur inuenta et

p. 240. obſeruata. Quare enim alias, vt hanc ſolam nominemus, SCHREBERI monographiam *Saxifragae ſarmentoſae* tacuiſſet, quae diu publici iuris facta eſt,

p. 366. et plantae huius hiſtoriam egregie illuſtrat? Deinde

de cur *Baccharidem Dioſcoridis*, ſi, vt monet, perperam ita dicitur, hoc nomine inſignitam relinquit, in tot ac tantis ex arbitrio factis mutationibus? Cur alia multa, quae ipſe iam dubia, vel falſa propoſuit, ita dedit? Ideo certe, vt hoc ipſo ſupplemento plantarum nomina et cognitio confundatur, quantum poterat fieri, atque vt haec confuſio in noua, quam meditatur, Syſtematis editione in ordinem redigatur. Sed aut vehementer fallimur, aut metuimus, ne, ſi vno et ſolo Editoris ſtudio opus hoc conficiendum et characteres ex ſiccis plantarum ſpeciminibus, ſaepe imperfectis, formandi erunt, haec confuſio potius augeatur, quam tollatur. Etenim aliorum Botanicorum meritiſſimorum obſeruationes in viuis plantis inſtitutae, iis, quas ex ſiccis extricuerit LINNEVS, repugnabunt: neque igitur, contra veritatem, Linneanas mutationes ſequi poterunt botanici. Vtile ſane et neceſſarium eſſet, tantis per decennium factis obſervationibus et inuentis plantis, nouum ſyſtema: ſed huius compoſitio labor eſt, viribus vnius viri, ſi vel ſummi botanici, maior, niſi totidem quotannis fere repetitas ſyſtematis editiones, et mantiſſas, quot LINNEVS pater dedit, exſpectare velis. At ex viuis plantis, nouiter detectis, ſumma ſolertia obſeruatis, et iuxta botanices leges diſquiſitis, colligendi ſunt a pluribus characteres, indeque formandum ſyſtema. Habemus in Germania ſola, quae per plura ſaecula ſummorum botanicorum fertilis fuit mater, etiamnum botanicos clariſſimos, DVROIVM, EHRHARTVM, FORSTEROS, GLEDITSCHIVM, HEDWIGIVM, IACQVINVM, KOELREVTERVM, MEDICVM, MVRRAYVM, SCHREBERVM, WEBERVM, et alios: nonne hi, iunctis Anglorum, Danorum, Gallorum, Italorum, Ruſſo-

rum et Suecorum obſeruationibus et conſiliis, inſtitutis iteratis in hortis diſquiſitionibus, ſyſtema formaturi eſſent quod firmius eſſet iſto, cuius compilationi vnus, qui in Suecorum angulo mundi non
p. 47. alias nouas videt plantas, niſi per alios ad eum miſſas, operam, etſi aſſiduam, dat, et quod characteribus ex ſiccis plantis formatis innititur? Ita enim diſciplinae amoeniſſimae et vtiliſſimae augmento non tantum, ſed perfectioni etiam proſpiceretur omnium optime, neque ad orbem litterarium ſolum, verum ad omnem potius rempublicam fructus vberrimi eſſent redundaturi.

## XVI.

Lettere odeporiche di ANGELO GVALANDRIS. In Venezia CIↃIↃCCLXXX, appreſſo Giambatiſta Pasquali. 8. pagg. 342. ſine praefatione et indice, tab. aen. quatuor.

i. e.

Epiſtolae in itinere ſcriptae ab ANGELO GVALANDRIS.

Eo potiſſimum Auctor conſilio ſcripſit ad amicum quendam, cuius tamen nomen reticuit, has litteras, vt ſuas ipſi cum ſuper vrbium, quas peragrauit, ſitu, tum ſuper telluris, montiumque variorum ſtructura obſeruationes cognitas redderet, ſimulque de collectionibus naturalium, eorumque mineralium inprimis corporum, quas videre ipſi in variis vrbibus contigit, breuem relationem daret. Praeterea inſeruit etiam his litteris quaedam ſuper excoquendorum ex mineris metallorum ratione in nonnullis regionibus, per quas iter inſti-

inſtituit, vſu recepta, et ſuper aliis quibusdam chemicis laboribus, quemadmodum etiam ſuper agri cultura, cet. annotata, quae lectu profecto non minus, atque illae obſeruationes, digna ſunt.

Ipſius itineris haec fuit directio, vt menſe iulio CIↃIↃCCLXXV marchiam taruiſinam Auctor relinqueret, et per Heluetiam, Alſatiam, partemque Palatinatus Alſatiae adiacentem Galliam intraret, qua deinde relicta Angliam adiit, et Londini potiſſimum commoratus eſt. Aliquo autem tempore poſt, quum patriam repetere ſibi propoſuiſſet, Galliam rurſus petiit, et tandem per Sabaudiam et Pedemontium anno CIↃIↃCCLXXVII vernali tempore domum venit.

In prima epiſtola, quae Agordi in marchia tar- p. 1.
viſina ſiti d. XVIII menſ. Iul. CIↃIↃCCLXXV ſcripta eſt, ſitum huius pagi Auctor depingit, monetque multis eum eſſe montibus circumdatum. Vallis, *imperina* dicta, quae duorum milliarium intervallo a pago illo diſtat, verſus ſeptentrionem alto monte, eoque calcareo, *Erta* cognominato, limitatur, cui in oppoſita regione alius, is tamen minus altus, et ex ſchiſto, quarzoque compoſitus, reſpondet. Ex hoc, qui *Riua* dicitur, cupri dues pyrites effoditur; argenteas mineras ex ſuperiori eius parte olim etiam effoſſas fuiſſe ab incolis huius regionis Noſter accepit, etſi hodie nulla in hoc monte argento abundans vena foſſoribus cognita eſt. In vicinia alius, vt videtur, pagi, *Lovere* dicti, gypſei et calcarei montes, iique varias ob rationes ſcrutatoris naturae attentione digni, poſiti ſunt. Vidit p. 21.
Noſter metallum, quod ex mineris ex gypſeis montibus effoſſis excoctum fuiſſe dicebatur, cuius veram indolem etſi detegere non potuit, (nam perexiguum fruſtum erat, quod ipſi demonſtrabatur, vt omnino iudicium de eo ferre non auderet), tamen

p. 23. bismuthum illud ſuſpicatur fuiſſe. Bergami apud IOH. BAPT. DONATVM, Vicarium mineralem, inter alia perrara naturae producta, offendit alabaſtrum admodum elegans, variisque coloribus, velut rubro, carmino ſimili, conſpicuum, cet.

p. 56. Turici, duce HIRZELIO iuniori, botanicum hortum adiit, eumque reperit multis exoticis plantis inſignem. Director eius LOCHERVS eſt, qui vero eo tempore, quo Noſter Turici verſabatur, ab vrbe aberat. Perquiſiuit deinde egregias librorum, naturalium rerum, inſtrumentorum variorum, cet. collectiones, quibus ſocietas phyſica turicenſis vtitur, easque ad eum finem, cuius cauſa adornatae ſunt, eſſe aptiſſimas refert. GESNERVS, vir celeberrimus, ſumma Noſtrum humanitate excepit, ipſique copiam ſuae plantarum aliorumque naturalium corporum collectionis, quemadmodum etiam bibliothecae perſcrutandae

p. 67. lubenter fecit. Attentione GVALANDRIS ſua pretiſſimum dignum cenſuit librum ipſius GESNERI manu ſcriptum, in quo illuſtris vir plantas omnes, linneano ordine recenſitas, accurate deſcribere, et ſimul, in gratiam eorum, qui in diſtribuendis plantis LINNEO duce haud vtuntur, ea loca, quae in cranziano, adanſoniano, cet. ſyſtemate occupant, declarare, partesque, quibus cum genera, tum ſpecies definiuntur, tabulis ſummo ſtudio factis exprimere ſibi propoſuerit. Etſi vero magnam huius operis, rei herbariae ſtudioſis vtiliſſimi futuri, partem GESNERVS iam abſoluiſſe videtur, illud tamen, eo ipſo fatente, haud vnquam prodibit, quod aliis negotiis ſe ſentiat impeditum, quo minus in hoc labore pergere poſſit.

p. 72. Ceſpes bituminoſus, qui Turico haud procul effoditur, fibroſae naturae eſt, isque ex plantis non penitus deſtructis conſtat. Primum ſtratum, illud-

que

que terreum, nec alte deſcendens, limum quaſi refert, quo remoto ipſe ceſpes in conſpectum venit, qui ſpatium tres circiter pedes cum dimidio profundum occupat, et in parte inferiori martialem terram adiacentem habet. Deſcribit Noſter methodum, qua in effodiendo hoc ceſpite incolae vtuntur, inſimulque ſuper ortu eiusdem ab annuis, vel biennibus plantis repetendo diſputat.

Thermarum badenſium aqua ſaporem quodammodo acidum et veluti ſtypticum in lingua excitat, eaque vaſa, in quibus colligitur, terrea quaſi cruſta obducit, quam Noſter chemico ſubiecit examini. Et primum quidem ſoluit partem huius materiei in communi aqua, quae quodammodo ſpumoſa inde reddita eſt, et colorem ochrae ſimilem induit. Gallorum tinctura cum hac ſolutione commixta eam reddidit nigerrimam, crotonis tinctorii autem infuſum ipſi additum rubrum euaſit; hinc quas partes, praeter calcaream terram, mineralis illa aqua admixtas habeat, et quibus potiſſimum virtutibus ſit inſignis, patet. p. 77.

Relicta vrbe ab his thermis cognominata Noſter menſe Octobri Bernam adiit, conuenitque HALLERVM, qui iam tum vehementi morbo, et mingendi potiſſimum difficultate laborabat, WITTENBACHIVM, naturalium rerum ſtudioſiſſimum, KIRCHBERGIVM, chemiae indefeſſum cultorem, aliosque claros viros, ſeque beneuole et humaniter ab iis fuiſſe exceptum lubenti animo fatetur. Operam dedit variis herbis, quae in Heluetia cum in hominum, tum in animantium vſus coluntur, cognoſcendis, multumque ſuper hac re cum HALLERO, KIRCHBERGIO, cet. locutus eſt, et quid dignum ipſi ſua attentione fuerit in hac vrbe viſum refert. p. 82.

Mann-

p. 111. Mannhemii quanquam collectionem natu-
lium rerum electoralem perſcrutari ipſi non lic-
quod COLLINVS, qui illi praeeſt, ab vrbe eo te-
pore abeſſet; quorundam tamen corporum hic
ſeruatorum, velut plantarum marinarum, rerum
lapideam naturam mutatarum, animantium,
meminit, ſimulque breuiter *caput medusae* in
ſchiſto conſeruatum et quatuor circiter pedes
gum deſcripſit. MEDICI, viri eruditiſſimi, hu-
nitatem multis laudibus effert.

p. 147. In collectione mineralium principis DE COU
quae Chantilli, haud procul a Lutetia Pariſiorum
aſſeruatur, permulta rara naturae producta No
perluſtrauit, eorumque admiratus eſt excellenti
Inter alia foſſilia corpora baſaltem (forte *Schoerl*
cum album, tum ſubrubrum, mineram ferri cum
ridi montano commixtam, pyrites Fahluni effo
quibus verus carbo vegetabilis et rubiginoſi lapi
inerant, galenae varias ſpecies, cet. offendit.
primis diues eſt haec collectio variarum cupri,
tim natiui, partim calcis forma conſpicui, mine
rum, quae in Norvegia, Suecia, Lapponia, Sibe
aliisque regionibus effoſſae ſunt. Inter ſtanni
neras aliam ex Cornubia allatam, eamque cryſt
fuſcis cum baſalte viridi et pyrite commixtis
gnem, aliam Schneebergae in Saxonia effo
quae fluori ſpathoſo et argillae innata, et cum
ſalte cryſtalliſato coeruleo commixta erat, vidit,
que pariter, ac multa alia foſſilia corpora, qu
haec collectio abundat, breuiter deſcripſit, et
eorum natalia vbique addidit.

p. 205. Lutetiae Pariſiorum cum commoraretur, in
templandis naturalium rerum collectionibus
ſus fuit occupatus, de earumque praeſtantia ad
cum

cum retulit. Ipſe etiam dono accepit ab HERMANNO, medicinae apud Argentoratenſes profeſſore, varias ex Alſatiae fodinis, in quas deſcendere, cum hanc regionem peragraſſet, non potuerat, effoſſas mineras, velut regulum arſenici natiuum, ſiue cobaltum teſtaceum, arſenicum cryſtallinum illi, quod Schmöllnitii in Vngaria effoditur, ſimile, marmor ſchiſtoſum LINNEI, lapidem quendam gypſeum cum coloris, tum ſtructurae ratione cum nephritico lapide comparandum, cet. iisque HEYNIZIVS, metallifodinarum ſaxonicarum inſpector quondam ſummus, qui hoc tempore Lutetiae degebat, alias, easque ex ſaxonico ſolo potiſſimum erutas, velut ſtannum, argentum, cet. vario modo mineraliſatum, addidit.

Collectio DE ROME' DE L'ISLE cryſtallis potiſſimum diues eſt, neque tamen alia mineralia in ea corpora deſiderantur. Meminit Noſter minerae zinci fuſcae WALLERII, argenti cum mineraliſati, tum natiui Fribergae in Hermunduris effoſſi, argenti cornei peruani, minerae plumbi ſubrubicundae et cryſtalliſatae, cet. potiſſimum autem p. 214. attentione eius digna viſa eſt oſſea humani capitis portio interne et externe calcareo alabaſtro obducta, in qua os frontale, maxilla ſuperior, orbitae cet. conſpici poſſint. Omittimus alias de raris quibusdam naturae productis, quae Noſter contemplatus eſt, relationes, et accedimus ad chemica quaedam tentamina, de quibus in his ipſis litteris reddidit rationem.

Et DE ROME' DE L'ISLE multam nuper ope- p. 224. ram dedit fundendae platinae, quam propter ferrum maiori mox, mox minori in copia ipſi admixtum via ſicca hactenus non potuiſſe ſolui crediderat. Qua de re, vt hoc metallum methodo a SAGIO re-

cepta

cepta a platina seiungeret, huius portionem cum ammoniaco sale commiscuit et in vase idoneo adiecto sal sublimatione rursus separauit; residuum, quod hoc labore peracto in vase remanserat, cum nouo ammoniaco sale miscuit, illudque rursus sublimatione seiunxit. At vero eandem platinae portionem etsi sexagesies ea ratione tractauerat, vt sublimatus sal nullum amplius ferrum haberet admixtum, tamen inutilem prorsus atque frustraneum fuisse tam petitum hunc laborem expertus est, quo quippe peracto residuum non magis, ac antea, fundi potuerit. Alia tentamina, quibus ad fusionem aptam reddere platinam DE ROMÉ DE L'ISLE studuit, pariter, atque illa, superuacanea fuerunt, donec tandem hoc metallum in regia aqua solueret, et ea solutionis salis ammoniaci solutum corpus rursus deiiceret; nam quod hac ratione obtinuerat praecipitatum, subrubro colore conspicuum, sicca in solui potuit. Cuius naturae metallicum corpus hoc modo productum fuerit, non additum deprehendimus.

p. 225. Ex molybdaena idem clarus vir, cuius meminimus, semper quicquam ferri ignis vehementissimi vi obtinuit; hinc ad ferri mineras referendam eam iudicat, quae nihil sit, nisi talcosa terra cum ferro mixta.

p. 244. Londini Noster in familiaritatem vtriusque FORSTERI, BANKSII, SOLANDRI, PRINGLII, HVNTERI, aliorumque celeberrimorum virorum venit, quos summa ipsum humanitate excepisse, tam ad publicas, tum ad priuatas librorum, corporum naturalium, cet. collectiones ipsi aditum patefecisse refert. HVNTERVM seniorem potissimum laudat, apud quem anatomica, quae dicuntur, praeparata, eaque egregie conseruata, nummorum col-

p. 258.

lectionem praeclaram, cet. viderit. Hic ipſe vir celeberrimus nonnulla placita ſuper vi, quam in quibusdam animalibus oſſium faciei eorundem varia ſtructura in intellectum, eiusque facultates habeat, cum Noſtro communicauit, ipſique ea de re collectionem capitum nonnullorum animantium, quae in hunc ſibi finem HVNTERVS parauit, quibusque ipſa placita, firmo velut talo, inniti, ſibi perſuaſum habet, praebuit conſiderandam. Dolemus nos vehementer, Auctorem non dediſſe vberiorem de his placitis relationem, quum ipſe, vt videtur, omni ea veroſimilitudine haud deſtituta cenſeat. p. 260.

Ceterum, vt hoc vnum addamus, quae de fixo aëre, eiusque variis ſpeciebus Auctor diſputauit, ea ſatis declarant, inuita ipſum Minerua huic phyſices capiti cognoſcendo operam dediſſe; nam, vt ingenue fateamur, neque nominum, quibus varias aëris formas naturae ſcrutatores inſigniuerunt, accuratam habuit notionem, neque cuncta tentamina a PRIESTLEIO, BERGMANNO, aliisque inſtituta ipſi ſatis cognita fuerunt. p. 174.

## XVII.

ED. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae. Liber quartus. L. B. apud P. v. Eyk et D. Vygh 1781. 4. c. figg. pagg. 154. praeter indicem capitum et indicem rerum.

Quemadmodum tres antecedentes libros hactenus in commentariis his indicauimus, ſic et hunc quartum librum, cui index rerum in omnes quatuor libros eſt additus, hic breuiter cum Lectoribus communicamus. In quo quidem icones eadem, qua in illis diligentia, factae, elegantia ſua placent, atque

atque a Cl. Auctore perſpicua explicatione illu-
ſtrantur. Contenta ſunt in hoc libro decem ca-
pita.

p. 1. 1) *De lacte in abdominis cauum effuſo aliisque in e-
dauere puerperae nono a partu gemellorum die mor-
tuae obſeruatis.* Praemiſſis nonnullis de lactis ab-
erratione et de noxiorum ſeparatione a natura
p. 8. enarrat Noſter, quid anatomica ſectio cadaueris puer-
perae docuerit et figuris uteri grauidi olim datis*)
icones matricis huius puerperae addit.

„Confirmat huius cadaueris ſectio propoſitam
antea vel ex grauida exhibitam a Noſtro fabricam
et compoſitionem cartilaginum, et ligamentorum,
quae oſſa pubis nectunt, totamque peluim aptam
reddunt, vt in partu dilatari poſſit. Adeo vniuer-
ſaliter haec doctrina hodie aſſumitur, vt hoc fun-
damento etiam nitatur, propoſita, aliquoties iam,
ſed non ſemper felici cum ſucceſſu inſtituta et hac-
tenus non adeo, vt videtur, laudanda **) ſectio ſym-
phyſis oſſium pubis, vt vix opus videatur, dem
eandem adſtruere ".

p. 21. 2) *De ſingulari membranae celluloſae de genera-
tione.* Puella in lucem edebatur ſingulari modo
conformata: thorax eiusdem, praeſertim ver-
artus ſuperiores difformes erant. Tumor enim
has partes vna cum collo occupabat, latitudine ſua
diſtantia, ab vno humero ad alium, ab anteriore
pollicum decem, a poſteriore eius tumoris parte de-
cem cum dimidio. Longitudo autem totius cor-
poris

*) Obſerv. lib. 2. cap. 1. pag. 53-56. v. comm. noſtr.
Vol. XXIV. p. 653.
**) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 650. et ibid.
p. 648.

poris erat octodecim pollicum. Icones hanc deformitatem candide delineatam sistunt.

Quo tumore siniſtrorsum et dextrorsum tacto, nullibi puella videbatur dolores sentire, nisi in incisuris siniſtri potissimum lateris ob excoriationes ibidem conspicuas, tenuem humorem fundentes. Tumoris huius magnitudine, cum viueret puella potius aucta, quam imminuta, praesertim siniſtrorsum, vbi cutis insigniter extensa, variisque in locis erat inflammata: induruit totus tumor atque dolores in parte affecta exortos secuta est inflammatio, qua, cum nullis ea remediis posset moderari et coërceri, tertia a partu septimana elapsa, exspirauit misera haec puella. Ex sectionis historia, quam Cl. Auctor iconibus pulchris illustrat, hanc puellae difformitatem a celluloſae membranae degeneratione maximam partem pendere intelligitur.

„Confirmari hac obseruatione et illustrari vi- p. 29.
detur HALLERI *) assertum: gelatinosum humorem in fetu immaturo naturalem hospitem, in aliqua parte eius telae collectum, posse miros tumores formare, vt nullum sit deformitatis genus, quod ab ista causa non subnascatur. Illis itaque obseruatis, quae summus hicce physiologus, vt celluloſae telae in fetu degenerationes probaret, proposuit, relata historia addi meretur, praesertim quum inter omnes commemoratas similis non inueniatur, nisi illi infantes huc sint referendi, quos ex gelatinae in spa-

*) v. Op. min. Tom. III. p. 7. et comm. nostr. Vol. XVI. p. 427. Elem. Physiolog. Tom. I. et comm. nostr. Vol. VII. p. 630. it. Vol. XXIV. p. 29. et 466. Elem. Physiolog. c. h. Tom. VIII. p. 135. it. comm. nostr. Vol. XIV. p. 251.

ſpatiis ſubcutaneis congeſtione, capite inter clauiculas recepto et complanato natos vidit" *).

p. 29. 3) *De labio leporino, congenito duplici et complicato:* quo affectam, et mortuam, puellam Noſtro licuit ſecare. Deſcripſit itaque hoc labium magna cum cura, aliorumque obſeruationibus de hoc malo, vti ſolet, ſedulo collectis, iconibusque illuſtrauit. Filia a ſanis parentibus erat progenita et praeterea bene conformata. Et haec quidem puella nullo potuit ſugere modo, vixit tamen pulte, cuius portionem ſubinde deglutiebat, dum maxima pars, nares intrans, caua ipſarum, fiſſurasque inter oſſa replebat, quae tamen lingua ad inſignem altitudinem eleuata depurare didicerat infans. Sufficiente igitur nutrimento deſtituta et magis, magisque emaciata, vigeſima ſecunda a partu ſeptimana vitam cum morte commutauit.

Quamdiu partes oſſeae mollibus adhuc teguntur, mutationes, quas illae ſubierunt, non adeo apparent. Quibus itaque liberatis cranium Noſtro videbatur examinandum et icone exprimendum. Simile quidem vitium ab aliis deſcriptum legit Noſter, tamen figuras exſtare nullas arbitratur, quibus illud illuſtraretur, ſaltem quod attinet ad palati, nariumque degenerationes.

p. 39. 4) *De extenſore proprio digiti medii manus*: quem Noſtro contigit obſeruare et ALBINVS ſemel quoque conſpexit. Etſi autem prorſus ſimilis dici nequeat haec obſeruatio Albinianae; inſignis tamen intercedit inter vtramque conuenientia, quam Cl. Auctor indicat, aliaque eiusmodi ab ALBINO et BOEHMERO obſeruata exempla commemorat.

*Di*

*) vid. ib. et Journal de médécine cet. Tom. XII. p. 172.

5) *De ventriculo disrupto, aliisque huius organi morbis.* In recenti cadauere neonati hanc Auctor obſeruationem fecit. Abdomine caute aperto, humor, ſanguini coagulato non abſimilis, inter omnes inteſtinorum circumvolutiones et praeſertim in latere ſiniſtro magna admodum eius copia in conſpectum veniebat. Ventriculus, reliquis partibus ſanis, flaccidus et ruptus erat huius humoris fons. Nam inueniebatur eiusmodi humor, in anguſtiore ventriculi parte et duodeno. Ruptura haec erat inſignis et per omnes ventriculi progrediebatur membranas. Quaenam autem huius rupturae fuerit cauſa, latet. p. 42.

In alio cadauere neonati abdomen ſanguinis extrauaſati pariter obſeruauit Noſter plenum. Viſcera omnia ſana videbantur, vaſa autem, quae iuxta marginem inferiorem ventriculi et inter ventriculum atque lienem decurrunt, hic et illic lacerata erant. Adeo expanſi ventriculi forma in Noſtri obſeruationibus *) iam eſt delineata. Auctores, qui ventriculi male conformati, peruerſe ſiti, aut hoc, illoue vitio, abſceſſu, contractura, calloſa anguſtia, carcinomate, eroſione, excoriatione, excreſcentia fungoſa, expanſione, gangraena, hernia, ſarcomate, ſcirrho, vlcere, vomica, ſingulari malo laborantis exempla varia annotarunt, Cl. SANDIFORT quidem, more ſuo, ſedulo atque diligenter collegit; ipſam autem caui huius rupturam a nonnullis tantum obſeruatam, et ex diuerſis cauſis productam eſſe docet. p. 44. p. 45.

6) *De praeternaturali diuerſarum partium ſtatu in cadauere mulieris viſo.* Cerebri vaſa, per piam matrem decurrentia, turgida erant, et inter cerebrum et piam matrem notabilis aquae gelatinoſae copia p. 45.



*) v. Librum tertium tab. VII. et comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 652.

occurrebat cet. Thoracis et abdominis viſcera multum inter ſe connata inueniebantur, quae omnia ab Auctore ſedulo ſunt deſcripta et cum aliorum obſeruationibus comparata.

p. 69. 7) *De calculis renum et veſicae.* Eximiae magnitudinis calculos in renibus, quorum alibi Cl. SANDIFORT *) mentionem fecit, magna et diriſſima non ſolum efficere mala atque ſymptomata; ſed etiam paruas per eminentias et per alias configurationes inſignes dolores creare poſſe hoc capite Noſter partim ſuis, partim ab aliis Auctoribus ſibi communicatis obſeruationibus confirmat. Ex pluribus potiſſimum eos ſelegit, quorum figura magis, minusue eſt irregularis, vti ex iconibus apparet.

Duas Auctor inprimis hoc in capite communicat obſeruationes et calculos ad illas pertinentes exhibet: alterum exemplum tres attinet calculos, qui ob ſingularem formam, ſedemque notatu ſunt digni. Operatione, qua vnus calculus extrahebatur, peracta, ſecundo poſt operationem die mortuus aegrotus eſt. Cuius ipſius ſectionem Cl. Auctor inſtituit, eiusque hiſtoriam, egregie illuſtratam, diligenter retulit. Poſterius vero exemplum ingentem calculorum numerum ſiſtit per operationem euocatorum, quam aeger multos annos ſuperuixit.

p. 90. Addidit praeter multas alias, obſeruationes lectu dignas, exemplum calculi, in carne cruris hominis podagrici inuenti, quem, quum, licet in omnibus ferme corporis locis calculi inueniantur, in carne muſculari obſeruati tantum ſint a MEKELIO **), WAL-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 469. v. ib. Vol. XXIV. p. 653. Alia exempla ibidem quoque enarrantur.

**) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 338.

WALTHERO *), paucisque aliis, hic curauit delineari.

8) *De notabilioribus vaſorum aberrationibus.* Femoralis arteria in duos ramos fiſſa; Venarum pulmonalium numerus diuerſus et renalium varietates cet. obſeruata ſunt a Noſtro. p. 91.

9) *De lingua ſtupendae molis.* Monſtroſa haec lingua oris rictum, tres pollices adaequantem, perfecte implens pendebat ex ore ad longitudinem quatuor et ferme dimidii pollicis et muco erat obſeſſa, admodum inaequabilis atque tuberculata. Annum quinquageſimum et quartum agens aeger, cum haec ſcriberet Cl. SANDIFORT, angina ſaepe laborabat; ceteroquin deglutire et loqui poterat. Simile exemplum **) Noſter commemorat et quaedam de operatione addit. p. 100.

10) *Additamenta ad tres priorum harum obſervationum libros: de rariſſimo cordis vitio; de nonnullis cordis et arteriae aortae morbis; de tumoribus vtero annexis; de anchyloſi oſſium pubis; de vaſe chylifero; de calculis per perinaeum ſibi viam quaerentibus; de futuris oſſium cranii; de oſſiculis futurarum; de oſſibus, diuerſo modo a ſolita conformatione abludentibus.* Memorantur inter alia cordis ſuppuratio in cadauere viri, aortae anguſtationes inſignes, vterini morbi varii, anchyloſis oſſium pubis, vaſis chyliferi varietates, futurae oſſium cranii plures et rariores, earumque defectus, eorum oſſiculorum varietates magnitudine, numero, ſitu; oſſiculum planum defectum oſſis vnguis reſtituens, cet. p. 105.



*) Obſeruat. anatomic. p. 43.
**) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 646.

XVIII.

Sciagraphia morborum, cuius partem primam Praeſide IO. I. HAARTMANN, Aſſeſſore atque Medic. Profeſſore Reg. et Ord. Equite Reg. Ord. Waſ. atque membro Reg. Acad. Scient. et Soc. Patr. Holm. defendit Reſp. *Io. Nordſten.* Aboae, 1779. 8. Impreſſa apud viduam Reg. Acad. Typogr. Io. Chph. Frenckell, ſecundam partem Reſp. *Petro Branting*, ib. eod. tertiam Reſp. *Ioſ. Guſtauo Pipping*, ib. eod. quartam Reſp. *Io. Chriſtiano Florin.* ib. eod. pagg. 236.

Quanquam in hac medicinae parte elaboranda plurimi fuerunt occupati, tamen Cl. Auctoris iudicio Celeberrimo BOISSIER DE SAUVAGES maximus competere videtur honos, reliquis huius rei ſpeciminibus non contemnendis. Cum vero tanta morborum multiplicatio, quae in operibus DE SAUVAGES, VOGEL, et SAGAR non minus ſcientiae noſtrae afferat incommodum, quam nimis vniuerſalis et coarctata aliorum e. gr. LINNEI, MACBRIDII, SELLII cet. *) claſſificatio defectum prodat: non inutile fore exiſtimauit Cl. HAARTMANN, medium tenere atque his ſpeciminibus academicis experiri, vtrum memoria diſcentium ac iudicia practicorum et valetudo aegrotantium felicius iuxta hanc methodum ſubleuari et promoueri poſſit.

Si abbreuiationes et correctiones Noſtri, quas in noſologia methodica inprimis, tam quoad claſſes et ordines, quam genera et ſpecies ſuſcepit, etiam aliorum practicorum aſſenſum conſequi poſſent, vel etiam doctioribus anſam ſuppeditarent, ſuis locis benigne corrigere et complere, quae Noſtrae viribus

*) v. noſtror. comm. indices duarum decad. ib. Vol. XXI-XXIV.

viribus corporis iam deficientibus, in medium proferre non valuit: finem intentum obtinuiſſe, tempusque huic labori impenſum bene collocatum eſſe putabit.

Quibus a Cl. HAARTMANNO in praemonito praemiſſis, tabulam claſſium atque ordinum cum noſtris Lectoribus verbotenus communicamus et addita a Cl. Auctore nomina ſuecica ipſa ſimul repetimus:

## Tabula
## Claſſium atque Ordinum.

Cl. I. Febres (ſenſu ſtrict.): Sv. *Februar.* Pyreniae ſimplices, ſine inflammatione.

O. 1. Continuae: *Bråunſiukor.*
Febres, ſine vera inflammatione, intermiſſione vel remiſſione,

2. Intermittentes: *Fräßfebrar.*
Febres, cum plenaria intermiſſione vel integritate.

3. Remittentes: *Remittenta Febrar.*
Febres continuae, cum exacerbationibus quotidianis, tertianis, quartanis, remittentibus erraticis.

Cl. II. Dolores: *Wärkpaßioner.*
Paſſiones dolorificae locales, cum inflammatione, ſiue vera ſ. ſpuria, ſed ſine exanthematibus.

O. 1. Inflammatorii: *Brandwärker.*
Phlegmaſiae ſanguineae, cum pyrexia vniverſali.

2. Phlegmonodei: *Bälder.*
Tumores inflammatorii, cum leuiori et partiali pyrexia.

3. Cruciatus Rheumatici: *Flußwärker.*
Inflammationes ſeroſae, leuiori cum pyrexia.

C. III. Exanthemata: *Utſlagg.*
Morbi cum efflorescentia.

Or. 1. Febrilia: *Utſlags Febrer.*
Phlegmaſiae cum efflorescentia.

2. Apyreta: *Helſigheder.*
Efflorescentiae, ſine praegreſſa pyrexia.

C. IV. Profluuia: *Flöder.*
Euacuationes praeternaturales, neque criticae neque tabificae.

O. 1. Haemorrhagiae: *Bladflöder.*
Profuſiones ſanguineae.

2. Catarrheumata: *Slemflöder.*
Defluxiones acres ſeroſae, vel mucoſae.

3. Fluxus: *Bukflöder.*
Euacuationes ventrales.

C. V. Nervoſi: *Nerrepaßioner.*
Indolentes Senſorii et Syſtematis nervoſi morbi.

O. 1. Mentales: *Swärmodigheter.*
Mentis laeſiones.

2. Spaſmi, ſ. Tremulae: Conuulſiones.
Motus inuoluntarii.

3. Rigores: *Krampſuker.*
Temporariae, vel conſtantes partis ſ. totius corporis rigiditates.

C. VI. Debilitates: *Briſter.*
Senſationum et functionum abolitiones.

O. 1. Paralytici: *Lamheter.*
Languidae et ſoporoſae debilitates.

2. Dyſaeſteſiae: *Sinners Briſter.*
Senſuum externorum vitia.

3. Suffocationes ſ. Anhelationes: *Täppor.*
Reſpirationis vitia.

4. Sug-

4. Suppreſſiones: *Förſtoppningar*,
Functionum naturalium priuationes.

C. VII. Intumeſcentiae: *Swullnader*.
Chronicae corporis intumeſcentiae et decolorationes.

O. 1. Cachexiae: *Wanfärgande Sikdamar*.
Cacochymica corporis diſcoloratio et conſtitutio.

2. Hydropes atque Emphyſemata: *Waktſaker*.
Tumores fluctuantes aquoſi 1. flatulenti.

3. Tubera: *Swullſter*.
Protuberantiae, non fluctuantes et occaſionaliter tantum dolentes.

C. VIII. Maraſmi: *Aftyningar*.
Succi Nutritii et Pinguedinis conſumtiones.

O. 1. Tabes: *Trän-eiler Twinſaker*.
Marcores pyretici totius corporis, ſaepius ab interna partium ſolutione.

2. Ulcera: *Särnader*.
Marcores partiales, a ſolutione partium externarum.

3. Deformitates: *Wanſtälluingar*.
Morboſae et Seniles transfigurationes.

Iam videamus de claſſe prima et ordine primo cum generibus, miſſis ſpeciebus:

## Claſſis I.

*Febres* SAVVAGESII; Morbi Critici LINNEI; Febres intermittentes et Continuae ſimplices VOGELII; Pyrexiae CVLLENII; Morbi Febriles nonnullorum. Sv. *Febrar*.

Character conſiſtit in augmento praeternaturali caloris innati, quod praeeunte frigore, aliiſque ſymptomatibus primariis ſic dictis ſimplicioribus, interdum etiam malignis inuadit, et per determina-

ta temporis interualla criticam euacuationem promouet.

## Ordo I.

Continuae BOERH. SAVV. VOG. CVLL. Continentes SEN. STAHL. IVNK. LINN.

*Bränfieber.*

Pyrexiae phlogiſticae acutae a feruore ſanguinis poſt vnum, alterumue horrorem accenſae, absque multis praegreſſis prodromis et ſine perfecta intermiſſione l. remiſſione, niſi matutina in dies ingraueſcentes, vſque quo per determinatas euacuationes maxime cutaneas finiuntur l. ſoluuntur. Sanguis ſpiſſus, pulſus plerumque validus et plenus; lingua vt et cutis initio arida; Vrina, declinante morbo, ſedimentoſa, cinnabarinum quid interdum deponens.

Gen. 1. Diaria LINN. VOG. Ephemera Veterum et SAVV. Synocha CVLL. Iudicatoria SAGAR. *Dreygat Feber.*

Febris acutiſſima vnius l. alterius diei, ſine praegreſſa laſſitudine veniens, et interdum labiis ex vlceratis intra quartum deſinens: facies nonnihil inflata cum rubore: pulſus frequens et mollis; ſudor halituoſus; urina vix mutata, ſub declinatione cum concoctionis notis.

Cura: Antiphlogiſtica et morborum primariorum.

Gen. 2. Synochus Auctorum; Synocha et Synochus SAUV. Humaria et Frigidaria SAGAR. *Helfig. Feber.*

Febris peracuta, cum dolore capitis; lingua alba; pulſus frequens; ſitis intenſa, somnus l. nullus l. cum ſpectris, et hinc etiam ſenſorii functiones turbatae, cum inſania paraphroſynica; cutis humida, aluus ſicca et

vrina

vrina rubra; intra XI. l. XIV. perfecta crisi ſoluitur, niſi in putridam mutetur.

Cura: V. Sectio, Laxantia antiphlog. Nitroſa et Iulapia acidulata, tum acidis vegetabilium, tum acido Nitri, l. ſpir. Nitri dulcis.

## XIX.

*Schwediſches Apothekerbuch nach der zweyten verbeſſerten Originalausgabe überſezt und mit einigen Anmerkungen begleitet. Leipzig, bey Paul Gotthelf Kummer.* 1782. 8. *Seitt.* 190.

i. e.

Suecica pharmacopoea, nonnullis annotationibus aucta.

Laudata iam alio tempore *) priore huius pharmacopoeae editione, nunc videamus tantum de additamentis tam Auctorum ipſius pharmacopoeae, quam Cl. LEONHARDI, qui huic a ſe factae translationi nonnullas annotationes, atque indicem ſubiunxit. Plura enim addere noluit Editor, ne breuitati, cui potiſſimum ſtuduerunt Auctores, officeret.

Ipſi Auctores nonnulla remedia, quibus medici vel plane non amplius, vel a ſemetipſis mutatis vtuntur, conſulto omiſerunt, iisque alia, eaque vtiliora atque vſitatiora ſubſtituerunt, meliora etiam et magis compoſitioni et praeparationi medicamentorum conuenientia elegerunt; ita tamen, vt quoque prius datorum medicamentorum nominum mentio in peculiari indice fieret. Annexa quoque eſt tabula, ex qua, quanta doſis laxantium, vomitoriorum, cet. remediis compoſitis inſit, conſpi-

oi

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 350.

ci queat, ſicque iis conſuleretur, qui his i
nominibus vti, ſeu nomina veterum ſcire velle

Iam nonnulla exempla ſubiungamus. B
mum neruinum *) hic omiſſum eſt. Loch ſa
et expertum appellatur quidem linctus leniens,
tamen in mox nominato indice mutatorum no
num, prius nomen etiam inuenitur. Sal ammo
cum martiale eſt, quod alii flores ſalis ammoniaci
tiales appellant; et ſaccharum ſaturni dicitur hic
Saturni. Scilla ſiccata ſolet quoque per pa
farinae piſtoriae in furno coqui et ſiccari. Sy
pus citri e ſucco Cll. Auctorum apud nos appel
tur ſyrupus acetoſitatis citri: et ſic etiam in a
factum eſt, quae Lectoribus relegenda relinquim

## XX.

*Anatomiſch - phyſiologiſche Abhandlung vom G
hirn, Rückmark und Urſprung der Nerven*
IOHANN CHRISTOPH ANDREAS MEYER. *F
Aerzte und Liebhaber der Anthropologie
ſtimmt. Mit Kupfern. Berlin und Leipzig bey G
orge Iakob Decker*, 1779. 4. *Seitt.* 68.

i. e.

Anatomico - phyſiologicus tractatus de cerebro
medulla ſpinali et origine neruorum. Auct
re Cl. IOHANNE CHRISTOPH. ANDREA MEY
medicis et anthropologiae ſtudioſis dicatus.

Ea eſt Cl. Auctori, vti in praemonito narrat, pro
poſita methodus, vt, in auxilium vocatis ico
bus, anatomicam partium deſcriptionem prim
praemitteret, earumque, quae in cerebro contine
tur, declararet, explicaretque ſitum atque ordine

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 350.

et ſimul rationem indicaret, qua eae detegi poſſent integrae. Breuiter expoſitis, quae phyſiologice nota et vera ſunt, diſquirit Auctor ea potiſſimum, quorum probabilitas nondum ſatis eſt probata. Neque enim omnia, iam de cerebro dicta, repetere, ſed ea ſolum breuiter expendere conſtituit, quae rebus in hoc tractatu contentis reſponderent, vt quae de ſtructura cerebri detegi poſſent. Iconum octo auctor eſt HOPFERVS, nona ita omnium optime apparerent nona autem de medulla ſpinali debetur b. HALLERO.

Praemiſſo igitur de ſtructura cerebri capite, ad alterum de vſu viſceris huius accedit Noſter ſolvendis quibusdam quaeſtionibus occupatus: Hinc ad hanc quaeſtionem reſpondet: quomodo effectus cerebri in reliquas corporis partes propagentur et quo modo ſenſus organorum ſenſoriorum in cerebrum ſuos edant effectus? Cuius vero quaeſtionis occaſione duas alias proponit quaeſtiones Cl. Auctor. Ac primum quidem quaeritur: ex quibus paruis partibus conſtet cerebrum et quaenam proprietates cadant in eas; dein num habeat ſecretio quaedam in cerebro locum et qualis ſit illa? Diuerſas hic hypotheſes, tonum, ſenſibilitatem, cauitatem, elaſticitatemque neruorum, fluidi neruei naturam, ſpiritus animales cet. ſpectantes narrat Noſter et argumenta, quae eadem vel confirment, vel refellant, diiudicat.

MEYER defendit elaſticam aliquam naturam in neruis, quam ita declarari putat, ſi fibram nerueam imperforatam eſſe ſumus; ſecretionem item in vtraque cerebri ſubſtantia fieri cenſet, quod in omnibus locis, ex quibus nerui oriuntur, vtraque animaduertatur. Ceterum in medulla forte maiori in copia fluidum ſecerni, quam in cinerea ſubſtantia, nec vlli peculiari cerebri parti vim neruorum

rum impreſſiones ſentiendi adſcribendam eſſe, [illegible] eam vtrique ſubſtantiae conuenire cet. arbitratur.

## XXI.

CHRISTIAN ERNST WÜNSCH, *D. Neue Theorie [illegible] der Atmoſphäre und Höhenmeſſung mit Barometern. Mit zwo Kupfertafeln. Leipzig, bey I. G. I. Breitkopf.* 1782. 258 *Seitt.* 8. DESSELBEN *Nachtrag* 40 *Seitt. in* 8.

i. e.

Noua theoria de telluris atmoſphaera, nec non de dimenſione montium ope barometrorum. Auctore CHR. ERNESTO WÜNSCHIO. Phil. et Med. Doctore.

Libri huius haec eſt ratio, vt, ſi ſummam argumentorum eius ducere vellemus, ipſum opus no verbum latine recenſere nos oporteret: tam nouam plane viam in hac explicanda re Auctor ingreſſus eſt, et omnia arctiſſime coadunauit argumenta, quae ſeiungi neutiquam patiantur. Quare ſumma eiusdem capita, tantum proponamus, neceſſe eſt. Totum opuſculum autem in ſectiones duas diſtribuitur. Prima ſectione oſtendit Cl. Auctor, telluris atmoſphaeram e duobus inprimis materiae generibus conflatam eſſe, graui altero et elaſtico, altero graui tantum, non item elaſtico: illi aëris puri, huic vaporum nomen imponit. Progreditur deinde ad explicationem naturae aëreorum corpuſculorum, eaque negat caua eſſe, vti bullulae vaporum, ſed ſolida potius et forte dura. Tum rationem explorat, ſecundum quam aër atmoſphaericus purus partim a grauitate vniuerſali, partim ab ipſius pondere comprimitur, et data terrae ſemidiametro

diametro, dataque altitudine barometrica quadam denſitatem aëris puri prope maris ſuperficiem computat. Computatam autem hanc aëris puri denſitatem continuo cum dimenſionibus altitudinum montium geometricis comparat, vt rationem vaporum, aëri puro innatantium, inde eruere poſſit. His autem omnibus perueſtigatis formulam mathematicam ad montium altitudines definiendas componit. Latitudinis geographicae quoque rationem ad has dimenſiones adhibet, oſtenditque, mediam altitudinem barometricam ſub aequatore prope ſummum mare maiorem, ſub polaribus circulis autem minorem eſſe, quam ad maris littora prope Galliam, aut Germaniam. Sectio ſecunda partim computatis montium plerasque altitudines in tabulas redactas continet, partim praecepta tradit, quae ad vſum harum tabularum pertinent. Ceterum reticendum non eſt, has montium altitudines ſecundum Auctoris noſtri theoriam definitas omni ex parte dimenſionibus geometricis et experientiae maxime conſentaneas.

## XXII.

D. AVGVST CHRISTIAN REVSS, *der mediciniſchen Geſellſchaft zu Kopenhagen, der königlichen mediciniſchen und der phyſiſchen Geſellſchaften zu Edinburgh Mitglieds, Beſchreibung eines neuen chemiſchen Ofens. Nebſt drey Kupfertafeln, Leipzig bey Chriſt. Gottl. Hilſcher, 1782. 8. 74 Seiten.*

i. e.

Deſcriptio noui furni chemici tribus iconibus illuſtrata, auctore AVG. CHRIST. REVSSIO.

Cogni-

Cognitum reddit in hoc tractatu REVSSIVS l
ctoribus suis furnum quendam vtilissim
qui haud ipsum, sed BLAKIVM, chemiae apud E
burgenses magistrum, auctorem habet, cunctis
chemicis laboribus accurate instituendis aptus
atque idoneus. Primum autem refert Auctor
furni variis partibus, eiusque ex iis constructi
tione, et deinceps vsum atque vtilitates eius
expendit. Descriptionem variarum furni part
ipsam nos non repetimus, quae sine iconibus
possit intelligi, sed potius commodorum, quae
iusmodi instrumentum chemicis comparat, nonn
la recensebimus.

Ita autem constructus est hic furnus, vt
destillationibus, solutionibus, euaporationibus,
tum vero etiam calcinationibus, fusionibus met
rum, aliisque similibus operationibus, quae
mentissimum ignem requirunt, peragendis sit
commodatus; nam facili negotio, et multiplic
tione caloris in hoc furno producti gradus pr
bitu vel augeri, vel minui possunt. Singulari
pe mechanismo cautum est, ne in vinosi, aut
liquoris, qui facile in vapores mutatur, destillat
ignis nimis vehemens operam artificis inanem
dat atque superuacaneam, et eodem mechan
etiam vehementissimus ignis, qui auro, cupro,
que metallis fundendis sufficiat, potest pro
Octo scilicet orbicularibus foraminibus varie
metri lateralis et inferior furni paries, sub crat
pertusus est, quibus efficitur, vt, si ea aperiantur
aër libere in focum admitti, ignisque vehemen
reddi, sin epistomiis quibusdam illis obturandis
neis claudantur, aërei fluidi accessus impediri,
que moderari facile possit.

Cum autem quodque aëris veluti admiſſarium ratione diametri a reliquis differat, atque adeo peculiari aëris quantitati introitum quoduis permittat: apparet, pro artificis lubitu, aut pro ſuſcipiendi laboris indole mox maiorem, mox minorem aëris copiam per haec admiſſaria, prout nimirum aut plura, aut pauciora aperta ſunt, (nam inferior furni pars vbique clauſa eſt, ita vt per has tantummodo vias aër ingredi debeat,) in focum deduci poſſe. Ceterum quisque ſibi facile perſuadebit, maiorem, aut minorem carbonum, qui in furno inſunt, copiam multum etiam ad ignem vel vehementiorem, vel leniorem reddendum conferre; neque eſſe ſolum in definiendo quodam caloris in hoc furno producti gradu ad illa aëris admiſſaria, verum etiam ad alimentum ignis ipſum reſpiciendum: nam, ſi omnia foramina aperta ſeruentur, nec tamen ſufficiens carbonum copia in furno inſit, vehementem calorem produci vix poſſe patet. Qua de cauſa ſuper hac etiam re Auctor quaedam praecepta addidit, docuitque ſimul rationem, qua caloris gradus, qui producuntur, ſi determinata carbonum quantitas in furnum immittatur, et vnum, pluraue aëris admiſſaria aperiantur, thermometri ope poſſint definiri. Plura ex vtili hoc tractatu non excerpimus; ſperamus enim, fore, vt breuis haec relatio chemiae ſtudioſos ad eum ipſum euoluendum, perlegendumque alliciat.

## XXIII.

## Noua phyſico-medica.

Academia Imperialis Scientiarum *Petropolitana* quaeſtionem, in quam vt inquirant viri doctos optat, propoſuit hanc: Rationes, ſi quae denique indubias indicare, ex quibus motus terrae diurni

diurni vniformitas demonſtrari poſſit, et ſi motus diurnus non ſit vniformis, ſed reuera mutationem quandam vel a reſiſtentia aetheris, vel ab alia quacunque in terram agente, patiatur, oſtende 1) ex quibusnam phaenomenis iſta mutatio in motu terrae diurno concludi poſſit? 2) quaenam hanc ipſam motus terrae diurni inaequalitatem temporis menſurae correctio applicanda ſit, vt ſta inter menſuram temporis praeteritorum ſeculorum et recentioris aeui comparatio inſtitui poſſit. Cuius rei explicatio exſpectatur die primo Iulii 1783.

Praeterea vero communicat eadem Academia quae ſequuntur: Nutritio, qua aequali iure ſingu partium corporis animalis puncta vel vſu detrita ſtituuntur, vel incremento augentur; phaenom porro effectuum rubiae tinctorum, cum aucta in bus rubedo aequabiliter per omnem ſubſtantiam ſeam diffundatur, ſingulisque eius punctis immiſ bus communicetur; deinde nutritio variarum tium, quae vaſis carent, epidermidis, vnguium rum, cornuum; denique et primi embryonis mentum, quem corde, vaſis et ſanguine certa periodo carere, dein et corde gaudere immotum tum eſt: ſatis manifeſto indicant humores nutri ni deſtinatos primo quidem per vaſa ferri vi dis in animali adulto, deinde vero vltro quouſque vaſa non pertingunt, vi aliqua pecul a motu cordis independente. In plantis vtpo corporibus mere vegetabilibus, quae ſimili mo ſuccos abſorbent, aſſimilant, nutriuntur, ſcunt et nouas continuo, dum viuunt, partes pa ducunt, nulla vis datur, quae poſſit cum co mouente comparari; proinde omnes in iis m humorum, ſiue per vaſa iſti ducantur, ſiue per ſu ſtantiam diſtribuantur, partium, quae vaſis ca

ſoli illi vi memoratae debentur. Quaeritur ergo, quaenam ſit vis huius naturae, inprimis vtrum eadem ſit cum communi corporum vi attractrice, an potius, vti videtur, ab ea diuerſa et propria ſoli animali ſubſtantiae viuae et vegetabili plantarum ſubſtantiae? Si hoc poſterius verum eſt, quaeritur porro, quinam ſint eius praecipui effectus et quibus proprietatibus ſe a vi attractrice communi diſtinguat, ſingularemque ſuam et propriam natúram declaret? In plantis experimenta, quibus opus eſt, vel etiam in animalibus, vel quod praeſtat, in vtrisque inſtitui poſſunt.

Praemium conſtat centum numorum aureorum Hollandicorum. Commentarii Latina, Ruſſica, Germanica et Franco-Gallica conſcripti lingua, impenſis ſolutis ad Cl. EVLERVM, qui perpetuo Academiae ab epiſtolis eſt, mittendi ſunt. Cuius, quae vltimo a nobis indicata eſt loco, quaeſtionis die primo Iulii 1784. optat Academia elaborationes.

Placuit dein Summae Ruſſorum Imperatrici CATHARINAE II, quae artium et litterarum incremento et perfectioni fauet, illudque protegit et diligenter curat, Directorem Academiae nominare Principem Celſiſſimam DE DASCHKOW, Equitiſſam Ordinis a S. Catharina dicti, quam ſapientia et omni doctrinae genere abundare relatum accepimus. Atque ſub directorio Eiusdem diu exſpectatum Academiae iudicium ſuper commentariis, ad eam circa quaeſtionem, anno 1779 *de propagatione filicum, muſcorum, algarum, fungorumque propoſitam* *) miſſis, tandem in publico conſeſſu, qui primus ſub directorio Celſiſſimae Principis maximo cum ſplendore die octauo Martii, anno MDCCLXXXIII celebrabatur, latum et publici iuris redditum eſt. Praemium promiſſum centum nummorum adiudicatum



*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 712.

tum est tractui, cuius symbola erat: *Ingeniorum commenta delet dies:* atque, cum hic tractatus omnino votis Academiae responderet, additaeque essent elegantes et copiosae plantarum cryptogamicarum, naturali et aucta magnitudine factae, delineationes, eiusdem Auctori adscripsit remunerationem singularem Academia. Aperta schedula agnoscebatur IOANNES HEDWIGIVS, Medicinae Doctor Lipsiensis, Auctor huius tractatus. Est itaque iterum Germania nostra adeo felix, vt virum in inuestigandis naturae mysteriis feliciſſimum, in obseruandi arte cautiſſimum, inuentorem veritatis, per plura saecula latentis seu dubiae, genuerit atque alat. Felix es Germania! at caue, ne dicaris ingrata!

Academiae scientiarum *Massilienſis* Societas in annum CIↃIↃCCLXXXIII quaestionem soluendam repetiit: *Sur les moyens de renouveller les bois en Provence*, i. e. Super rationibus renouandi ac restituendi siluas in Prouincia; de qua plura referre, termino ad praemium concurrendi iam praegresso, dubitamus.

Eadem Societas in annum CIↃIↃCCLXXXIV argumentum excogitauit, cuius summa haec est: *Sur les especes des vers marins, qui attaquent les navires dans les différens ports de la Provence; & quelle seroit la methode de les en préserver;* id est, vt vermium marinorum species eae definiantur, quae maiores naues in diuersis illis Prouinciae portubus maxime infestant; expliceturque methodus, hac in re maximus cauendi.

Nouum denique argumentum eadem illa *Massilienſis* Academia anno CIↃIↃCCLXXXV proposuit, quo nimirum disquiratur: Num planta, quae vulgo *Barbe de Renard* nominatur, quaeque crescens nunc in littoribus maris Prouincialis sub *Tragacan-*

*tha*

*thae Maſſilienſis* nomine botanicis cognita eſt, eadem ſit planta, quam quae ad extrahendum ex ea Gummi Tragacanthum in Aſiae illa parte (le Levant dicta) colitur, qualisque ſit modus eam cum fructu colendi in Prouincia, vt ex ea Gummi illud obtineri poſſit? (*Si la plante, vulgairement nommée* Barbe de renard, *connue des Botaniſtes ſous le nom* Tragacanta Maſſilienſis, *qui croit actuellement ſur les bords de la mer de Provence, eſt la même que celle qu'on cultive dans le Levant pour extraire la gomme Adragacant, & quelle ſeroit la maniere de la cultiver avec ſuccès en Provence, pour en extraire cette gomme?*) Harum quaeſtionum expoſitiones ante menſis Decembris finem mittantur Cl°. mouraille, qui Academiae perpetuo eſt a ſecretis.

Academia Regia ſcientiarum *Pariſina* anno ɔIↃIↃCCLXXXIII ad exponendam propoſuit argumentum, quo inueniatur via ac ratio ſimpliciſſima et maxime oeconomica decomponendi magna in copia ſal marinum, extrahendi ex illo, quod pro baſi habet alcali, puriſſimum illud et ab omni acidi, aut aliarum rerum admiſtione maxime liberum, praeterquam quod hoc alcali minerale pretio excedat illud, quod ex optimis peregrinis Sodae officinis obtinetur. (*Trouver le procédé le plus ſimple & le plus économique pour décompoſer en grand le ſel de mer, en extraire l'alkali qui lui ſert de baſe dans ſon état de pureté, degagé de toute combinaiſon acide ou autre, ſans que la valeur de cet alkali mineral excéde le prix de celui que l'on tire des meilleurs Soudes étrangéres.*) Praemium, quod optimae diſcuſſioni dicauit, eſt numus 2400 pondera gallica aequans. Tractatus, de hac re exponentes, et aut latino, gallico aut alio quouis ſermone conſcripti, mittantur certe ante huius anni feſtum diem, qui memoriae

reſuſcitati ſeruatoris ſacer eſt, ad Virum qui Academiae a Secretis eſt, adiecta ſententia quadam, nomine autem chartulae ſigilloque recondito.

In ſolemni conſeſſu, quem ante anni et quod excurrit ſpatium regia ſocietas medicorum Pariſienſium celebrauit, ad ſodales primum vir celeberrimus, qui ipſi eſt a ſecretis, retulit, praemium ex librarum gallicarum ſolutioni quaeſtionis: *Quae ſint certiſſima media, quibus lactantes infantes a morboſis ſymptomatibus, quibus eo tempore, cum dentes erumpunt, expoſiti ſunt, vel praecaueri, vel, ſi iis iam laborant, liberari queant*, deſtinatum, inter BAVMERVM, medicinae in academia montiſpeſſulana doctorem, cet. et MARIGVESIVM, chirurgum primarium noſodochii regii varſalienſis, et academiae regiae chirurgorum adiunctum, cet. partitum fuiſſe, qui ſocietatis expectationi optime reſpondiſſent. Proxime autem ad diatribes a BAVMERO et MARIGVESIO academiae oblatas acceſſerunt tractatus SVMEIRII, Marignanae in Prouincia medicinae doctoris, et ſocietatis medicae Correſpondentis, (cuius alia diſputatio iam olim praemio ab ea ipſa academia fuit decorata,) CVSSONII, filii, medicinae doctoris, ſocietatis ſcientiarum montiſpeſſulanae ſodalis, cet. et MATTHIEVII, chirurgiam Conzae in Sardinia exercentis, qui proinde alterum praemium inter ſe partiti ſunt. Ceterum in SVMEIRII commentatio argumentum de dentitione non abunde ſatis, admodum tamen exacte eſſe illuſtratum, et CVSSONIVM illud explicaſſe accurate, ſuaque placita idonea methodo propoſuiſſe, MATTHIEVIVM vero vtilia varia iudicia ſuo tractatui inſeruiſſe, Secretarius profeſſus eſt. — Quaeſtionem, quam ad annum CIↃIↃCCLXXXII propoſuerat ſocietas *), optime ſoluit LANDAIR, ſocietatis correſpondens

*) vid. comment. noſtr. Vol. XXIV. P. III. p. 537.

